

Supplementum schematicum.

De scientia atque voluntate Dei.

§1. De fine huius operis.

a Sacra theologia ita dividitur ut primo per viam inventionis ex SScri, PP, CC, TT quid sit credendum determinetur, deinde per viam doctrinae secundum praeclarum exemplum S. Thomae queratur fructuissima illa intelligentia, et si limitata, quam laudat concilium Vaticanum.

b Hoc supplementum supponit aliunde haustam non solum determinationem eorum quae ad fidem vel pertinent vel quoquo modo accedunt sed etiam sententiarum diversarum quaestionumque historiae notitiam.

Unice ergo intendimus qua brevitate quantaque cohaerentia fieri possit ut notionibus apte declaratis et theorematibus stabilitis perspiciat diligentia alumnorum studentium quid hac in vita a nobis intelligi non possit, quid autem intelligi possit et debeat.

c Expositionis ordo non tam logicus quam paedagogicus est ut primo simpliciora separatim proponantur, deinde eorum cumulatione atque dixgestione magis complexa intelligi possint.

Quare primo de denominatione extrinseca (§2), de comparatione entis aeterni cum temporali (§3), de operatione Dei immanente atque contingente (§4), de actione et passione (§5). de necessario et contingente (§6), de futuris contingentibus (§7) actum est ut theorema dominii divini transcendentis exponi possit (§8) et circa idem distinctiones tradantur (§9).

Deinde de divina scientia (§§10, 11), de obiecto voluntatis (§§12-14), de ipsa Dei volitione (§15), de divina actione (§§ 16-19), de reductione peccati in causas (§20) quaeritur ut distinctio efformetur inter voluntatem Del antecedentem et consequentem (§§21-23).

Denique posita distinctione signorum rationis (§24) tractatur de praedestinatione et reprobatione (§25) et additur epilogus (§26).

§2. De natura analysis metaphysicae.

a In sequentibus frequentissime argumentum erit analysis metaphysica, cuius natura statim perspici debet.

Processio semper est eadem: de propositionibus ~~teris~~ proceditur ad entia quibus propositio vera sit vera.

Quare analysis metaphysica syllogismo declarari potest.

Maior praemissa est definition veritatis, nempe, veritas consistit in adaequatione intellectus et rei.

Minor praemissa est haec vel illa veritas.

Conclusio est de entibus quae requiruntur et sufficiunt ut vera sit propositio seu ut adaequatio intellectus et rei existat.

b Distinctio fundamentalis in analysi metaphysica viget inter denominationem intrinsecam et denominationem extrinsecam.

Denominatio est subiecto intrinseca si adaequatio veritatis habetur per entitatem subiecto intrinsecam.

Ita "Socrates est homo" vel "Socrates est albus" sunt denominaciones ex intrinsecæ, quia habent veritatem per entitates "humanitatem" vel "albedinem" ipsi Socrati intrinsecas.

Denominatio est subiecto extrinseca si adaequatio veritatis habetur per entitatem subiecto extrinsecam.

Ita "ignis me calefacit" est denominatio extrinseca; propositio enim vera non est per calorem igni intrinsecum neque per calorem ex igni transeuntem sed solummodo per calorem qui ex igni in me fit; porro, calor qui in me fit non est in igni.

c Exinde colligitur clavis fere principalis in tota nostra inquisitione.

Simultaneæ in veritate sunt propositiones quae per unam eamdemque entitatem habent adaequationem veritatis.

Existunt propositiones simultaneæ in veritate quia existunt denominaciones extrinsecæ.

E.g., per eundem calorem qui in me ex igni fit duae propositiones sunt veræ, nempe, "ignis me calefacit" et "ipse ab igni calefio."

Et similiter quandocumque habetur denominatio extrinseca, habentur propositiones simultaneæ in veritate, nempe, propositio quae est vera per denominationem extrinsecam, et alia propositio quae dicit "denominans extrinsecum existit."

§3. De comparatione entis aeterni et temporalis.

a Notissiam est doctrina S. Thomae nihil Deo praeteritum vel futurum esse, omnia autem praesentia.

Quod brevi arguento declarari potest. Si enim quid umquam est Deo praesens, semper est Deo praesens. Nam secundum quandam partem seu instans aeternitatis est praesens. Quae pars seu instans semper est, cum aeternitas sit tota simul.

b Quaeres vero quid sit istud "simul esse" quo omnia Deo sunt praesentia et nihil praeteritum vel futurum.

Respondetur: "est" duo significat; primo et semper significat ens et verum, et ita non differt ab "erat" vel "erit"; deinde connotat comparationem inter tempus rei et tempus iudicantis, et ita differt ab "erat" et "erit".

Porro, ens temporale est in quo fuisse, esse, et fore realiter differunt; quae differentia proxime invenitur in praedicamento "quando" ut tamen ipsum rei esse afficiat; nam antequam ens temporale est, non erat; postquam erat, non est; et quamdiu est, perpetuo transit esse in fuisse et fore in esse.

Ens vero aeternum est in quo fuisse, esse, et fore sunt re et ratione idem; unde aeternitas dicitur esse tota simul; non enim tempore limitatur neque mensuratur esse entis aeterni.

Proinde, duplex est comparatio entium; prima comparatio est communis omnium secundum quod sunt entia et vera; altera comparatio pertinet ad sola entia temporalia prout eodem vel diverso tempore esse eorum limitatur et mensuratur.

E.g., equus Alexandri et equus Caesaris non erant simul; diversis enim temporibus erant. At equus Alexandri simul erat cum sole, et equus Caesaris simul erat cum sole; utroque enim tempore sol erat, ita tamen ut, quando simul erat sol cum equo Alexandri, futurum erat esse-simul solis cum equo Caesaris. Denique simul erant equus Alexandri et Deus, et simul erant equus Caesaris et Deus; non quod Deus utroque tempore erat, nam Deus in tempore non est; sed quia idem in Deo est fuisse, esse, et fore.

Unde concludes: "simul esse" sequitur ipsam rationem entis nisi praedicamentum "quando" impedit; quare cum Deus tempore non limitetur, simul est cum omnibus quae sunt sicut etiamsi inter se comparata simul non sint.

Scilicet, secundum vulgarem aestimationem tempus continet entia, unde eatenus entia simul esse possunt quatenus eodem tempore sunt. At secundum iudicium philosophicum ens continet tempus tamquam partem sui, nempe, praedicamentum "quando"; quare entia eatenus simul sunt quatenus entia sunt nisi impedit limitatio temporis.

c Cum operari sequatur esse, manifestum est scire Dei et velle Dei sicut esse Dei simul cum omnibus esse.

§4. Operatio immanens et contingens.

- a Quidquid ⁿ contingenter de Deo dicitur, per denominationem extrinsecam habet adaequationem veritatis.
Aut enim per denominationem intrinsecam, aut per denominationem extrinsecam. Atqui intrinseca denominatio est impossibilis. Ergo per denominationem extrinsecam.
Minor patet: nulla enim entitas contingens potest esse intrinseca Deo absolute simplici et necessario.
- b Sunt operationes immanentes quae contingenter de Deo dicuntur.
Deus enim scit hunc mundum exsistere; praeterea, vult hunc mundum exsistere. At liberrimo consilio creavit. Potuit non creare. Contingenter creavit. Ideoque potuit non scire hunc mundum exsistere; potuit non velle hunc mundum exsistere; ideoque contingenter de Deo dicitur quod scit et vult hunc mundum exsistere.
- c Quamvis sint operationes Deo immanentes quae contingenter et per denominationem extrinsecam habent adaequationem veritatis, tamen ab aeterno de Deo dicuntur. I, 13, 7, 3m.
Operari enim sequitur esse. Porro, esse Dei est aeternum. Pariter ergo scire Dei et velle eius sunt aeterna.
- d Obiecit: Non habetur denominatio extrinseca nisi exsistit denominans extrinsecum. Ergo non habetur denominatio aeterna nisi exsistit denominans extrinsecum et aeternum.
Respondet: concedo antecedens et distinguo consequens secundum dicta §3; si tempus continet ens et verum, C; si ens continet tempus et comparatio cum Deo non est secundum tempus sed secundum rationem entis et veri tantum, N.
Aliis verbis, non transfertur "quando" a denominante in Deum. ~~etiam, §3, 8m~~
- e Corollarium maximæ momenti colligitur.
Ex hac doctrina de operationibus Dei immanentibus et contingentibus sequitur series quaedam propositionum quae sunt simultaneae in veritate.
Per idem enim habetur adxxx adaequatio veritatis sive dicitur "hoc contingens exsistit" sive dicitur "Deus scit vel vult hoc contingens exsistere"; haec enim posterior propositio habet adaequationem veritatis per denominans extrinsecum cuius existentia ponitur in propositione illa priori.

§5. De actione et passione.

a Quaestio ponitur de illa actione quae necessario infert passionem, scilicet, de exercitio causalitatis efficientis.

Non ergo agitur de actu secundo; si hoc intelligo, hoc non patitur neque est passio; imo, meum intelligere est pati, et ego patior.

Non agitur de eo quod est per accidens sed de eo quod per se convenit actioni et passioni et quidem secundum legem metaphysicam quae exceptiones non admittit. Quare non quaeritur de actione prout est in materialibus vel prout est in creaturis sed de actione ut sic.

b Quaestio est utrum actio et passio sint duo entia an unum tantum.

Respondetur quod actio et passio dicunt idem ens sub diversis respectibus, seu quod unus idemque actus est et actio et passio, at actio est in quantum ab agente est, et passio est in quantum in paciente est.

c Probatio est per reductionem oppositi in absurdum.

Supponatur ergo actionem dicendi aliud ens quam passio, et quidem ens agenti intrinsecum.

Quaeritur deinde de causa prima utrum existat, utrum habeat actionem intrinsecam, utrum ei in sit necessitate naturae an aliunde recepta sit.

Si dices eum non existere, sequitur nihil existere.

Si dices eum non habere actionem intrinsecam, sequitur eum nihil agere.

Si dices eum habere actionem aliunde receptam, negas eum esse causam primam.

Si dices eum habere actionem intrinsecam necessitate naturae, sequitur eum non libere sed necessario agere; porro, cum actio esse nequeat sine passione, sequitur omnes effectus causae primae esse necessarios.

d ~~Eadem-conclusio-nem-pari-necessitate-sequitur~~

Similiter quandocumque ponitur actio agenti intrinseca, tollitur ~~et~~ contingentiam et libertas, uti communiter obicitur contra ponentes praedeterminationes physicas.

e Ergo cum Aristotlele dicendum est: actio est in passo; actio est actus huius ut ab hoc; passio est actus huius ut in hoc.

dicere
actio haec

§6. De necessario et contingente.

a Necessarium est quod non potest non esse.

Esse est esse existentiae; quare necessarium non potest non existere; e contrario, impossibile non potest existere.

b Necessitas est triplex: absoluta, ex suppositione alterius, et ex suppositione sui ipsius.

Absoluta est necessitas eius quod non potest non existere. Unde solus Deus est absolute necessarius.

Ex suppositione alterius, triplex est necessitas, nempe, metaphysica, physica, et moralis.

Ipsa haec necessitas viget in ordine essentiali; consistit in nexu quodam necessario inter antecedens et consequens.

Prout nexus est lex metaphysica, lex physica, vel lex moralis, fiunt distinctiones.

Lex metaphysica est quod substantia finita non potest esse sine accidentibus/inseparabilibus; supposita ergo existentia substantiae finitae, necessarie necessitate metaphysica ponuntur accidentia inseparabilia.

Lex physica est quod calor sese diffundit; supposita ergo existentia caloris, necessitate physica ponitur diffusio caloris; quod tamen metaphysice non est necessarium.

Lex moralis est ut veritatem dicas si loqueris; supposita ergo existentia subjecti rationalis, necessitate morali dicit veritatem si loquitur; attamen cum metaphysice tum physice potest loqui et falsum dicere; necessitas moralis excludit compossibilitatem et bonitatis moralis et falsae loquela, sed non facit imm ipsam bonitatem moralem necessariam.

Ex suppositione sui ipsius oritur minima illa necessitas quae in omni et quolibet invenitur.

Omne enim dum est necesse est esse. Socrates dum sedet necessario sedet.

Haec necessitas ex suppositione sui ipsius componitur cum contingentia absoluta, metaphysica, physica, et morali. E.g. sit actus liber et supererogatorius; dum est, necessario est; et tamen neque absolute neque metaphysice neque physice neque moraliter est hic actus necessarius.

c Contingens est quod potest vel esse vel non esse.

Contingentia pariter dividitur ac necessitas.

Unde omnes creaturae contingenter existunt; accidentia separabilia insunt substantiae contingentia metaphysica; actus liber existit contingentia physica; actus supererogatorius existit contingentia morali. At nihil existit sine necessitate ex suppositione sui ipsius, quod contra principium identitatis seu non-contradictionis esset.

§7. De futuris contingentibus.

- a Quaeri solet inde ab Aristotele utrum contingentia futura sint determinate vera.
E.g., utrum hodie verum iudicium elic *possit* potest quod cras fiet proelium navale.
- b Primo, respondetur negative circa scientiam humanam.
Homo enim secundum esse et cognoscere est ens temporale; quare futurum non est ei praesens.
Praeterea, ei non est praesens aliquid aliud quod necessario nexu cum futuro contingente connectitur; secus, futurum illud non esset contingens sed necessarium.
Unde colligitur quod iudicium praesens "hoc contingens futurum aliquando erit" non potest habere adaequationem veritatis sive ex parte ipsius futuri contingentis quia non nunc est sive ex parte alterius quocum necessario connectitur futurum contingens.
Ergo iudicium ex scientia humana de contingente futuro non potest habere adaequationem veritatis, ideoque nunc non potest esse determinate verum.
- c Deinde cum distinctione respondetur circa scientiam divinam.
Deo enim, enti aeterno, nihil potest esse futurum; quod enim umquam est Deo praesens, semper est ei praesens [§3, 4].
At quae nobis sunt futura et Deo praesentia, circa haec Deus potest cognoscere verum determinate. Sicut enim nos de eis quae nobis sint praesentia, veram et certam cognitionem habere possumus, pariter Deus de eis quae ei sunt praesentia.
- d Porro mediantibus scientia divina, revelatione, fide, nos possumus habere certitudinem de futuro contingente, v.g., quod antichristus erit.
- e Ex quibus fiat & gressus ad principium maximi momenti.
Deus certo scit hoc contingens futurum. Atqui impossibile est Deum certo scire et illud contingens non fore. Ergo necessario erit.
Respondetur primo quod nihil Deo est futurum.
Instatur quod manet difficultas. Impossibile est Deum certo scire et illud contingens non esse. Atqui Deus certo scit. Ergo illud contingens necessario est.
Distinguitur minor. Deus certo scit hoc contingens existere, per denominationem intrinsecam, N, p.r denominationem extrinsecam ex ipso contingente, C. Vide §4.
Distinguitur conclusio. Illud contingens necessario est, absolute vel ex suppositione alterius, N, ex suppositione sui ipsius, C. Supponitur enim existentia contingentis ut habeatur adaequatio veritatis in minore.

§8. De transcendentia divina.

- a Consideretur hic syllogismus.
Si Deus hoc aliquid existere sive scit sive vult sive facit, necessario hoc aliquid est.
Atqui Deus hoc aliquid existere scit, vult, vel facit.
Ergo necessario hoc aliquid est.
- b Maior est veritas necessaria necessitate metaphysica.
Absolute enim impossibile est ut Deus infinite perfectus vel erret vel frustra velit vel frustra agat.
Quidquid ergo Deus scit, infallibiliter scit; quidquid vult, efficaciter vult; quidquid facit, irresistibiliter facit.
Sed quod infallibiliter scitur esse, vel quod efficaciter volitur esse, vel quod irresistibiliter efficitur, illud necessario est.
- c Minor est veritas necessaria ex suppositione.
Supposito quod hoc aliquid existit, necessarium est Deum omniscientem eius existentiam scire, sicut necessarium est Deum omnium Dominum eius existentiam velle, et necessarium est Deum omnium causam primam eius existentiam efficere.
At ipsum suppositum non est necessarium; potuit enim Deus nihil creare.
Ulterius, de Deo dici non potest quod scit hoc aliquid existere vel vult vel facit nisi per extrinsecam denominationem; quod enim contingenter de Deo dicitur, per denominationem extrinsecam dicitur.
- d Conclusio est legitima et certa. At conclusio sequitur praemissam debiliorem. Quare ex minore aestimanda est qualitas huius necessitatis.
Iam vero minor potest habere adaequationem veritatis duplice; vel ex ipso hoc aliquo extrinsece denominante, vel ex alio existente cum quo hoc aliquid nexu necessario metaphysico vel physico connectitur.
In casu priori, necessitas conclusionis est minima illa quae est ex suppositione sui ipsius.
In casu posteriori, necessitas conclusionis est vel metaphysica vel physica prout hoc aliquid necessitate metaphysica vel physica sequitur ex eo quod extrinsece denominat Deum scientem, volentem, facientem ut hoc aliquid existat.
- e Ex quibus colligitur quid sit transcendentia divina.
Transendentia divina in primis dicit scientiam divinam esse infallibilem, voluntatem Dei esse efficacem, actionem Dei esse irresistibilem, ita ut quidquid Deus sciat velit faciat, necessario hoc sit.
At transcendentia divina etiam dicit Deum stare extra ordinem necessitatis et contingentiae, hoc sensu quod ex sola scientia, voluntate, actione Dei prout sunt infallibiliter scientia, voluntas, actiones divinae, ex sola efficacitate voluntatis divinae, ex sola irresistibilitate actionis divinae determinari non potest utrum scitum, volitum, effectum sit necessarium necessitate metaphysica, an physica, an morali, an minima illa ex suppositione sui ipsius.

§9. Principia prioritatis et simultaneitatis.

a Colliguntur ex antecessis brevia principia quae in subsequenti materia sunt utilissima.

b Principium prioritatis ponitur in ordine causalitatis, secundum illud quod causa est prior suo effectu.

Porro, Deus est omnium causa agens, et agit per intellectum et voluntatem.

Quare quidquid est, est ex Deo sciente, volente, efficiente. Ergo ~~non~~ prius Deus scit, vult, facit ut hoc aliquid existat quam hoc aliquid existit.

Quae prioritas est causalis.

c Principium simultaneitatis ponitur in ordine veritatis, secundum quod denominationes extrinsecæ inducunt veritates simultaneas seu veritates quae habent adæquationem cum re per eamdem ~~maximam~~ entitatem.

Porro, quidquid contingenter de Deo dicitur, per denominationem extrinsecam dicitur. Omnes ergo veritates contingenter de Deo dictae postulant existentiam extrinseci denominantis et ideo alias veritates simultaneas.

Alia ex parte quod a Deo scitur, volitur, efficitur aut continetur in alia qua causa necessitante aut non aut continetur in alio ente finito et necessitante aut non ita continetur.

Si in alio ente finito et necessitante continetur, denominatio Dei extrinseca sumi potest ex hoc alio.

Si vero non in alio ente finito et necessitante continetur scitum, volitum, effectum, tunc denominatio Dei extrinseca ex ipso scito, volito, effecto sumi debet. Et hoc in casu valet principium simultaneitatis.

Principium ergo simultaneitatis est quod veritates simultaneæ sunt quod hoc contingens existit et quod Deus scit existentiam huius contingentis vel vult hanc existentiam vel facit.

d Ex principio simultaneitatis habetur per modum corollariorum thesis 10a apud auctorem (Lennerz, De Deo Uno, p. 252, §360 ff).

e Praeter prioritatem in causalitate et simultaneitatem in veritate, agnosci debent prioritas et simultaneitas circa aeterna et temporalia. De quibus supra §3.

§10. De Scientia Dei.

a Actus scientiae Dei est ipse actus purus intelligendi seu ipsum intelligere; quare hic actus est unicus, neque umquam est potentia vel habitu sed semper actu.

Obiectum scientiae Dei dividitur in primarium et secundarium; obiectum primarium est ipse actus purus, seu ipsum esse subsistens, seu ipsa divina essentia; obiectum vero secundarium tripliciter dividitur et secundum hanc obiecti divisionem sermo fit de scientia simplicis intelligentiae, de scientia media, et de scientia visionis.

b Per scientiam simplicis intelligentiae Deus intelligit totam seriem mundorum possibilium cum omnibus suis partibus, eventibus, et nexibus sive necessariis sive contingentibus.

Fundamentum huius scientiae est obiectum primarium.

Intelligendo enim se ipsum, Deus intelligit virtutem suam; intelligendo virtutem suam, intelligit omnia quae per virtutem suam effici possint, nempe, totam seriem mundorum possibilium.

c Per scientiam medium Deus cum omnimoda certitudine scit quid in singulis adiunctis sive necessario sive contingenter eveniret si ipse hunc vel illum mundum creare eligeret.

Fundamentum huius scientiae, uti opinamur (vide §11), est ipsa divina transcendentia. Intelligendo enim se ipsum, intelligit Deus se esse transcendentem. Intelligit ergo si ipse eligeret hunc vel illum mundum creare, necessario exizesse hic vel ille mundus, exacte prout in scientiam simplicis intelligentiae esse perspicitur. Et ulterius intelligit nullam inde necessitatem contingentibus imponi, uti supra (§8) expositum est.

d Differunt obiectum scientiae simplicis intelligentiae et obiectum scientiae mediae.

Obiectum illud est possibile; obiectum hoc est hypotheticum, scil. non possibile qua tale sed sub conditione "si ipse illum mundum creare eligerem."

Iterum in utroque obiecto exhibentur alii eventus, motus, actus necessario connexi et alii contingenter connexi inter se. Sed ex sola scientia simplicis intelligentiae, posita una parte mundi possibilis, ad aliam partem contingenter connexam concludi non potest. Ex scientia media vero eiusmodi conclusio haberi potest, non quod eventus contingenter connexi fiant necessario connexi, sed quod singuli eventus habitudine infallibili, efficaci, irresistibili ad scientiam, voluntatem, actionem Dei referuntur.

e Per scientiam visionis intelligit Deus omnia actualia, nobis quidem praeterita, praesentia, et futura, sed ipsi Deo aeterno praesentia.

Supponit haec scientia liberrimum illud consilium quo Deus hunc mundum creare decrevit.

Ad adaequationem veritatis requirit haec scientia ipsam mundum exsistentem et Deum extrinsecus denominantem.

Differt ergo haec scientia ab aliis quae habent adaequationem veritatis sive in ipso Deo comprehenso sive in virtute Dei comprehensa sive in transcendentalia Dei comprehensa.

§11. De diversis radicibus scientiae mediae.

- a Duplex semper est quaestio, Quid sit, et An sit.
Quaestio de radice scientiae mediae est, non quaestio
an sit, sed quaestio quid sit, et quidem usque ad ultimum
"cur."
Hanc radicem posuimus in ipsa divina transcendentia.
Alii aliter faciunt quorum tamen sententiae aut ad nostram
~~revocatur~~ revocari possunt aut inconvenientes demonstrantur.
- b Ipse Molina, Bellarminus, et forte alii radicem scientiae
mediae in divina super-comprehensione voluntatis liberae
posuerunt. Ita perfecte ergo creator creabilem voluntatem
comprehendit ut quid clare distinque perspiciat quid in
singulis adiunctis electura esset.

Circa quam sententiam haec est difficultas.
Aut supponitur nexus necessarius inter ipsam voluntatem
comprehensam et suos actus aut non supponitur.
Si supponitur, tollitur libertas.
Si non supponitur, tollitur certitudo scientiae mediae.

Resonderi potest certitudinem scientiae mediae non
tam in voluntate comprehensa quam in Deo comprehendente
fundari. Sed hoc aut videtur nihil aut revocatur a d
nostram sententiam de Deo comprehendente transcenkiamdentiam
propriam.

- c Suarez, Ruiz, Mazella et multi alii in ipsa obiectiva
veritate futuribilem radicem scientiae mediae posuerunt.
Verum enim est Petrum sub talibus adiunctis constitutum
sic fuisse acturum. Porro, Deus omne verum cognoscit.
Ergo Deus hoc et similiter alia omnia futuribia cognoscit.

Circa hanc sententiam difficultas in maiori invenitur.
Dicitur obiective esse verum hoc conditionale: "si Petrus
sub talibus adiunctis versaretur, sic eligeret."

At si supponitur nexus necessarius inter antecedens et
consequens, tollitur libertas; sic enim fingeretur deter-
minismus quidam adiunctorum.

Si autem non supponitur nexus necessarius inter antecedens
et consequens, veritas illa est ~~ex~~ contingens. Porro,
veritas contingens habet adaequatio veritatis in quantum
existit aliquod contingens; quod contingens non potest
esse Deus, qui est ens necessarium; neque potest esse ipsum
futuribile, quod sane non existit.

Quare ex hac sententia sequitur vel determinismus
adiuctorum quo tollatur libertas vel inadaequatio intellectus
et rei unde tollatur veritas scientiae mediae.

Resonderi potest praeter meras probabilitates triplicem
gradum certitudinis inveniri, nempe, certitudinem fundatam
in nexu necessario, certitudinem facti fundatam in quodam
contingente existente, et miram hanc certitudinem scientiae
mediae quae fundatur neque in nexu necessario, nam est de
libero, neque in facto contingente, nam est conditionale
quoddam contra factum.

(§ll. De diversis radicibus, sequitur).

De triplici divisione illa, ipse minime dubitamus.
At quaestio non est de facto sed de radice seu de ultimo
fundamento veritatis et certitudinis circa conditionalia
contingentia et contra factum. Asserere existentiam
non est reddere rationem.

- d Quare Kleutgen, Perrone, de Régnon, alii docent in rem
adeo arduam atque obscuram non esse inquirendum.

Quae doctrina minus est sententia de radice scientiae
mediae quam consilium desperationis.

- e Et ideo auctor acutissimus explicationem quamdam exponit.
Lennerz, De Deo Uno, 1948, pp. 254 ff., §364 f.

In primis tenet veritatem futuribilem in ipsa divina
essentia esse fundandam. Reducit ergo futuribilem actionem
Petri ad futuribilem concursus Dei; et ideo dicit ad idem
redire has propositiones: "si Petrus his in adiunctis versare-
tur, ita ageret"; et "si Deus Petrum his in adiunctis
poneret, ita Deus concurreret."

Quae reductio est valida: concursus enim divinus dupli-
citer considerari potest; principiatively est essentia divina
cum relatione rationis ad actum futuribilem; terminative
vero est ipse actus futuribilis. Ubi intellegitur concursus
simultaneus Molinae.

Quae reductio non tollit libertatem Petri: in eodem
enim signo est concursus futuribilis et actio Petri futuribilis.

Quae reductio fundat scientiam medium in ipsa essentia
divina; concursus enim futuribilis/est essentia ipsa cum
relatione rationis ad actionem futuribilem.

Ultro sane haec omnia admittimus. Ad idem enim redit
haec positio ac illa supra exposita de transcendentia
actionis divinae. Si enim Deus hoc aliquid esse facit,
necessario est; et tamen ista necessitas per se non est
nisi ex suppositione sui ipsius; manet hoc aliquid contingens,
liberum, imo supererogatorium.

Patitur tamen haec sententia hanc difficultatem quod
in eiusmodi concursibus hypotheticis Deus caece concurrit.
Ex enim concursibus hypotheticis Deus acquirit scientiam
medium sicut et nos per conscientiam empiricam cognoscimus
actus nostros internos elicendo ipsos. Quam difficultatem
arcere auctor laborat (§365), frustra tamen uti opinamur.

Analogia enim secundum quam concipiendus est Deus agens
ad extra non est nostra conscientia empirica actuum nostrorum
internorum sed potius est ars et voluntas artificis opus
externum producentis.

Porro, si auctor perspexisset in eodem prorsus signo
veritatis inveniri non solum actum futuribilem et futuribilem
concursum Dei sed etiam scientiam Dei et voluntatem Dei
circa existentiam actus, potuisset, pari ratione ac
theoriam suam, proponere integrum doctrinam de Dei transcendentia;
et ideo potuit asserere intellectum divinum dirigere et
voluntatem divinum imperare id quod concursu divino efficitur.

(§ll. De diversis radicibus, sequitur bis).

f Manet ut verbum dicamus de celebri obiectione contra doctrinam de scientia media.

Appendix ad Concordiam Molinae considerat obiectioneum quod Deus per scientiam medium fingitur non cognoscere ex sua essentia sed accipere cognitionem a rebus. Cf. DTC X, 2137.

Respondet Molina obiecta futuribilia non esse causas cognitionis divinas sed conditiones sine qua non. Ibid. 2138.

Secundum d'Ales et EVansteenberghe (aucto**r**em articuli DTC) Molina consideravit Deum haurire scientiam futuribilem ex sua essentia. Ibid. 2169.

Clare docuit Bellarminus Deum videre et comprehendere voluntatem humanam non accipiendo speciem a rebus sed per divinam suam essentiam. Ibid. 2169.

Et tamen usque hodie eadem urgetur obiectio: vide expostionem Molinismi apud DTC, art. Predestination, XII, 2966 et 2974, ubi P. Garrigou-Lagrange ponit suum dilemma utrum scientia divina determinat quid Petrus sit electurus sub adjunctis hypotheticis an ipsa electio Petri determinet quid Deus cognoscatur.

g Circa hoc problema distinguendum esse videtur.

Alia est quaestio epistemologica fundamentalis circa naturam radicalem cognitionis; et alia est quaestio de conceptu scientiae mediae.

Circa quaestionem epistemologicam duplex est opinio: Secundum Platonem, Plotinum, Augustinum, Avicennam, Scotum, Ockham, et per modernos ut Cartesium et Kantium radicaliter cognitio est confrontatio quaedam cum obiecto; non dico hanc theoriam esse expositam apud omnes istos auctores sed in discursu eorum supponit; alia ex parte apud Aristotelem et S. Thomam radicaliter cognitio est identitas quaedam atque perfectio; sensibile in actu est sensus intactus; intelligibile in actu est intellectus in actu; in his quae sunt sine materia idem est intelligens et intellectum; et ex hac fonte sequitur doctrina S. Thomae de Deo omnia intelligendo in sua essentia.

Porro probabile non videtur theologos praesertim temporis Renascentiae fuisse peritos in quaestionibus epistemologicis; ideoque in concipienda scientia media facile subiacebat ambiguitas; inquantum principiis S. Thomae inhaeserunt, sub influxu secundae opinionis erant; inquantum vero secundum ea, quae prima facie vera esse videntur, loquebantur, sub influxu primae opinionis erant. Quae ambiguitas et fundatit obiectiones et materiam refutationis praebebat.

Conciliationem ~~perficiam~~ scientiae mediae cum vera doctrina epistemologica haberi opinamur ex doctrina S. Thomae de divina transcendentia.

15

§12. De Ordine.

- a Totum est unum, intelligibile, completum.
Pars est id quod ad totum intelligibiliter refertur et ex quo totum intelligibiliter constituitur.
Uti patet, ipsae partes cuiusdam totius maioris possunt esse tota minora ex partibus minoribus constituta. Ita res subsistentes constituuntur entibus quibus, uti potentia, actu, etc; iterum res subsistentes sunt partes specierum; et species subsistentium sunt partes totius universi.
- b Ordo invenitur tum in toto prout intelligibiliter ex partibus constituitur tum in partibus prout intelligibiliter inter se et ad totum referuntur.
Abstracte ordo dicit solas relationes; concrete dicit et relationes et earum subiecta, fundamenta, terminos; agetur praecipue de ordine concrete dicto.
- c Existit ordo universi et quidem ordo perfectus.
Quaestio est de universitate rerum utrum ipsa sit totum quoddam seu unum, intelligibile, completum.
Agitur de universitate rerum creatarum, non secundum aliquid nunc temporis, sed secundum totum suum esse, seu sub aspectu quater-dimensionalis, seu sub specie aeternitatis.
Argumentum desumitur ex notione mundi possibilis.
Mundus enim possibilis est in quantum Deus prima omnium causa eum efficere potest; at Deus est agens per intellectum; ideoque nihil est possibile quod in sapiente intellectu divino concipi nequit vel ~~in~~ bona et iusta voluntate divina ~~vel~~ eligi nequit. Cf. I, 25, 5, lm.
Iam vero sapientis est ordinare; ordinatio est intelligibilis; intelligibile ordinatum est unum saltem unitate ordinis; neque incompletum volitur a bona et iusta voluntate.
Quare omnis mundus possibilis est unum, intelligibile, et completum, seu totum quoddam secundum normas divinae ~~huius~~ sapientiae et bonitatis.
- d Cave ne concipias Deum ordinare mundos possibles secundum analogiam nostrae imperfectionis.
Nos enim ex datis sensibilibus per inquisitionem et actis incompletos ad completam rerum intelligentiam progredi nitimur; iesum, supposito fine, discurremus et inquirimus consiliando de mediis in finem ordinandis.
At Deus est ipsum intelligere seu actus purus intelligendi; perfecte se ipsum comprehendit; quare perfecte comprehendit virtutem suam; et ideo eodem actu et eodem intuitu simplici sine discursu, /motu, /inquisitione, /consiliatione conspicit tamquam obiectum secundarium totam seriem omnium mundorum possibilium secundum omnes eorum partes et relationes.

a/

sine///

13. De Bono et Fine.

- a Bonum simpliciter est ipsa bonitas divina; bonum per participationem est bonitas creata.
- b Bonum per participationem dicitur vel ratione sui vel ratione alterius. *existens,*
Ratione sui bonum est totum seu unum, intelligibile, et completum, *et existens.* A
Ratione alterius bona est pars; et sic principaliter bona est pars illa ultima seu ultima perfectio unde totum completur; secundario vero bonae sunt partes inter se et ad totum ordinatae.
- c Distinguuntur bonum commune et bonum particulare.
Bonum commune est bonum totius maioris; bonum vero particulare est bonum totius minoris quod pars est totius maioris.
Unde concludes: bonum commune includit bonum particulare; totum enim maius non est completum sine partibus suis completis; at partes non sunt completae sine bono proprio particuliari.
Exemplo sit quod bonum est homini habere domum, cibos, occupationem, salarium; at longe excellentius est bonum commune quod est perfecta operatio systematis oeconomici unde omnes homines habeant occupationem, salarium, domos, cibos.
Ulterius concludes: maximum bonum inter bona creata est ipse ordo universi qui est totum maximum omnia bona particularia in se includens.
- d Etiam distinguuntur bonum verum et bonum apprens.
Oritur hic conflictus in totis intermediis quae secundum alium aspectum sunt ipsa tota partibus constituta et secundum alium aspectum sunt partes ex quibus totum maius constituitur.
Bonum verum ergo est id quod toti intermedio convenit quando consideratur secundum totam suam intelligibilitatem, scilicet prout est totum et prout est pars.
Bonum apprens autem est id quod toti intermedio forte conveniret si licita esset consideratio eius prout est totum, et omisso quod simul est pars totius maioris.
Facillime bono apparenti decipimur: nam bonum maximum creatum, quod est ordo universi, haud intelligimus; partes vero quo sunt minores eo facilius intelliguntur; unde quod totis minimis convenit, perspicimus, sed quod toti maximo convenit, praetermittimus.
- e Finis simplici ultimus est ipsum bonum simpliciter seu bonitas divina. Quod est bonum universo create extrinsecum.
Finis ratione sui creatus dicitur et ratione sui et ratione alterius. *existens,* st *existens*
Finis ratione sui est totum seu unum, intelligibile, completum,
Finis ratione alterius est ultima perfectio unde totum completur.
Finis ratione sui praecipue consideratur ut motivum, ut finis intentionis, ut finis operantis; finis vero ratione alterius praecipue consideratur ut finis operationis seu operis.
Alius finis creatus est alio altior quo bonum communius totius maioris est. Quare ordo universi est supremus finis mundo create intrinsecus.

f Quid senserit S. Thomas de ordine, bono, fine, breviter
indico cum alibi hac de re non scripserim.

Distinguitur finis extrinsecus et intrinsecus; extrinsecus
est Deus; intrinsecus est ipse ordo universi.

Met. Lambda 10 1075a 12; in XII, lect 12, §2627-31.

Cf. I d 39 q 2 a 1 sol; De Ver 5 3; CG I 78 §4; I 47 3 lm;
I 103 2 3m. Speciatim CG II 24 §4; I 21 1 3m.

Circa finem extrinsecum: bonum simpliciter, contractum
I 103 2; 65 1 2m; Deus ab omnibus appetitur I 44 4 3m;
CG III 16-25; angeli magis Deum quam se appetunt I 60 5;
cf I 21 1 3m; I-II 109 3; subordinatio ad finem extrinsecum
I 103 2 3m; CG III 64 §2.

Existit finis intrinsecus: I 103 2 3m; I 73 1 c.

Inter bona creata optimum: I 47 1 c; I 22 4 c; CG I 70 §4;
CG I 78 §4 f; CG I 85 §3; CG II 39 §7; CG II 42 §3; ~~§2~~
est fructus sapientiae divinae, CG II 24; II 42 §5; III 64 §11.

Est prius in intentione, formale, praecipue volitum,
propinquissimum divinae bonitate: CG II 44 §2; CG II 45 §8;
CG III 64 §9 f; CG III 69 §18

Describitur ordo universi: I 65 2 c; CG II 68 §§6-12;
CG III 22; CG III 112 §§8-10 cf §§3-5.

Usus systematicus in Summa theologiae.

Ordo probat existentiam Dei [I 2 3 c], probat unitatem
Dei [I 11 3 c]; quia Deus scit ordinem, scit ideas partium
[I 15 2 c; cf I 14 8]; ordo est iustitia Dei [I 21 1 c],
est veritas ontologica [I 21 2 c], est providentia [I 22 1 c],
praedestinatio [I 23 1 c], est gubernatio [I 103 1 c],
est fatum [I 116 2 c], est lex aeterna [I-II 91 1 c], et
lex naturalis [I-II 91 2 c].

Mundus unus unitate ordinis [I 47 3 c]; sine ordine
confusio [I 42 3 Sed contra]; in voluntariis et naturalibus
[I 21 1 c]; quo sensu hic mundus optimus [I 25 6 3m; 47 2 lm;
48 2 3m; 56 2 4m]; ratione ordinis habetur multiplicitas
[I 47 1 c], inaequalitas [I 47 2 c; cf 3m; 65 2 3m; CG II 45 §9];
sed non ideo malum [I 48 1 5m]; ratione ordinis sunt
contingentia [I 48 2 c], incorporalia [I 50 1 c], et
corporalia [I 65 2 c].

§14. De Malo.

a Malum est boni privatio.

Malum ergo tria dicit: existunt partes cuiusdam totius intelligibilis; totum existere debet; at quoddam partium existentium complementum deficit.

b Malum dividitur in malum simpliciter et malum secundum quid, prout totum simpliciter vel secundum/exsistere debet.

c Malum morale (malum culpae, formale peccati formalis) in eo consistit quod appetitus rationalis irrationabiliter ab actione sua deficit.

Est ergo defectus actionis. Non est ens sed entis privatio. Contra legem positivam peccatur non agendo. Contra legem negativam peccatur non impediendo motum contrarium ex bono apparente ortum.

Est defectus ipsi voluntati intraneus. Sane consequuntur alia mala, nempe, materiale peccati, scandalum, poena peccatori inficta. Quae tamen mala non sunt moralia sed physica.

Est defectus intrinsece irrationabilis. Sicut materiale peccati se habet ad bonum apparen, ita formale peccati se habet ad bonum mere apparen qua mere apparen. Nisi enim peccator scit bonum apparen esse mere apparen et re vera malum, non peccat. Aliis verbis, formale peccati est contra rationem, et nisi contra rationem esset, peccatum non esset.

Est malum particulare: bonum enim hominis est secundum rationem esse; pariter bonum appetitus rationalis est ut rationem dictantem sequatur.

Est malum simpliciter: peccare enim est agere contra intelligibilem universi ordinationem a Deo conceptam, volitam, et promulgatam. Quod vero est contra universalem rerum ordinationem intelligibilem, illud ad nullum totum intelligibile pertinet, ideoque malum est simpliciter.

d Malum physicum est malum secundum quid.

Scilicet, sub aspectu particulari malum est; sed sub aspectu generaliori consequitur bonum.

Ita malum particulare est quod cultellus oculum penetrans visum corruptit. Sed bonum commune est quod leges naturales existunt neque in talibus casibus suspenduntur.

Similiter mala particulata sunt materiale peccati, scandalum inde ortum, poena peccatori inficta. At bonum commune est existentia et exercitium liberi arbitrii; ulterius, bonum commune est ordo iustitiae qui se habet ad moralia sicut leges naturales se habent ad naturalia.

e Ex quibus colligitur duplex conclusio.

In primis, quo melius quis ordinem universi intelligit, eo melius explicare potest cur sint mala physica; sub hoc enim aspectu universalis appetit eorum horitas.

Deinde, etiamsi quis perfecte ordinem universi intellexisset, nihil intelligeret circa malum morale. Unumquodque enim intelligi potest in quantum intelligibile est; sed de ratione mali moralis est ut sit contra intellectum, contra intelligibilem rerum ordinationem, intellectam ab ipso peccatore, et praecconceptam, volitam, et promulgatam a Deo.

f Quare neque simpliciter affirmare neque simpliciter negare oportet malum morale pertinere ad ordinem universi conceptum atque volitum a Deo.

Non pertinet quatenus Deus non consiliat quemadmodum res sint ordinandas ut alii praemium et alii pariter poenam mereantur; consilium Dei est ut omnes salventur; et accidit malum morale contra ordinem rerum a Deo conceptum atque volitum. Quare dicuntur peccatores reniti contra ordinationem divinam, I, 19, 6; 103, 8, lm.

Pertinet tamen malum morale ad ordinem universi inquantum Deus per negationem huius intelligibilitatis malum morale ~~praeconcipit et permissionem~~ malitiaæ creaturae malum morale voluntate quadam consequente vult.

g Communiter concipitur malum morale tamquam defectus conformitatis in actu humano comparato ad legem moralem.

Scilicet, obiecta voluntatis dividuntur in bona obligatoria et mala prohibita; velle malum prohibitum est actus humanus difformis a lege morali; pariter, velle aliud loco volendi bonum obligatorium est actus humanus difformis a lege morali.

Admittimus hanc definitionem atque conceptum esse possibilem et ad alios fines aptum. Invenimus tamen eam esse minus aptam sive secundum analysis metaphysicam sive secundum analysis psychologicam.

Primo, obiectum voluntatis est bonum; proinde, bonum non dividitur in bona obligatoria et mala prohibita.

Secundo, ipsa actus volendi malum prohibitum (v.g. comedere cibum die ieiunii tempore vetito) vel ipse actus volendi aliud loco volendi bonum obligatorium (v.g. velle ludere golfi loco eundi ad missam die dominica) est tantummodo peccatum materiale nisi antecessit advertentia ad legem moralem.

Tertio, ipsum malum morale primo, per se, semper et ubique in eo consistit quod advertentiam intellectus non sequitur conveniens volitio (v.g. ~~vole-~~cibum, volo missam adire).

volo ieiunare,/

conformatas/

Quarto, consequenter ad hunc defectum actionis, qui defectus semper est malum morale, sequitur tamquam consequarium ille defectus/in positiva volitione comparata ad legem moralem.

§15. De Divina Voluntate.

- a Unicus est actus, unica est volitio divinae voluntatis, nempe, ipse actus purus. Deus enim est absolute simplex.
- b Unde statim concludes: non est dicendum Deum hoc velle quia illud vult; sic enim supponitur pluralitas volitionum; et inde oritur pseudo-problema de ordine inter volitiones falso multiplicatas.
Deus tamen vult rerum ordinem; et ideo dici oportet Deum velle hoc esse propter illud. Cf. I, 19, 5, c.
- c Iterum concludes: cum actus voluntatis divinae sit actus purus increatus, non est assignanda causa volitionis divinae.
Attamen, cum ad perfectionem voluntatis pertineat ut sit appetitus rationalis intellectum sequens, agnoscendus est ordo quidam inter intelligere divinum et divinum velle.
Prout sermo est de volitione divina essentiali vel notionali, ordo iste est ens rationis cum fundamento in nostro modo concipiendi, vel est realis ille ordo absque prioritate secundum quem Spiritus sanctus est amor procedens a verbo divino.
- d Diversa obiecta distinguuntur unicae divinae volitionis.
Primarium et principale obiectum est bonum simpliciter, seu ipsa divina bonitas infinita.
Secundarium obiectum est vel possibile vel actuale.
Secundarium obiectum possibile est omne id quod in scientia simplicis intelligentiae et in scientia media continetur.
Secundarium obiectum actuale est id quod Deus praeter se ipsum actu vult, nemps, in hic mundus seu hic ordo universi cum omnibus suis partibus et relationibus praeteritatis, praesentibus, et futuris.
- e Principale obiectum necessario a Deo volitur; quare secundum hoc obiectum volitio dicitur de Deo per denominationem intrinsecam.
Ulterius, principale obiectum dicitur motivum, finis intentionis, finis operantis, non sane quasi causa esset incausatae divinae volitionis, sed secundum illum ordinem de quo supra diximus (§15, c).
Ulterius, principale obiectum est unicum motivum divinae volitionis, similiter est unicus finis intentionis vel operantis. Definitum enim motivum, finis operantis, esse id quod principaliiter vultur. De hoc re vide quae praecclare et limpide scripsit P. Donnelly, *Theological Studies*, 1941, 53-83, ubi auctoritates ex S. Thoma, Suarezio, Cenotita provinciali solomensi inveneris.
- Convenientia definitionis apparet ex his: unum voluntati correspondit unus finis; unicae volitioni correspondet unum motivum; volitio divina est ontitative eadem sive Deus vult creare sive non, si uila creatura esset motivum divinae volitionis, secundum eadem rationem esset causa sui ipsius nam exstat si quia Deus vult.

f Inde theorema quoddam maximi momenti ponendum est. Unicum motivum, unicus finis intentionis seu operantis, relate ad ~~z~~ unicam Dei volitionem est ipsa divina bonitas.

Nos sane possumus velle ea quae ad finem sunt non solum propter finem sed etiam propter se ipsa. Ita volumus medicinam dulcem tum propter sanitatem tum etiam propter medicinæ dulcedinem. At hoc fieri potest in quantum bonitas eius quod est ad finem addit super bonitatem ipsius finis.] Iam vero ~~sicut~~ bonitas divina est bonum simpliciter; et omnia alia bona sunt ~~bonum~~ bona per participationem eius quod est bonum simpliciter; quia ergo divina bonitas est fons omnis alterius bonitatis, fieri nequit ut alia bonitas addat supra bonitatem divinam; et quia nulla alia bonitas addat supra bonitatem divinam, fieri nequit ut alia bonitas præbeat aliud qualemque motivum praeter ipsam divinam bonitatem.

I, 19, 2, 2m, 3m, 4m; I, 19, 4, 3m; I, 19, 5, c; I, 20, 2, c.

De hac re præclare atque limpide tractavit Pater Donnelly, Theol. Stud., 1941, 53-83; 1943, 3-33.

g Ex quo sequitur parallelismus inter intelligere et velle divinum. Qui parallelismus eo magis est ponendus quia divinum intelligere et divinum velle sunt idem absolute.

Sicut intellectus noster accipit species a rebus, ita nostra voluntas invenit bonitatem in rebus. Sicut cognita causa procedimus in cognitionem effectus, ita volito fine procedimus in volitionem eorum quae ad finem sunt.

Deus autem non accipit species a rebus sed intelligendo se ipsum intelligit omnia alia; praeterea non alio actu se intelligit et alio actu alia intelligit; sed eodem actu, quo se intelligit ut obiectum primarium, etiam in se ipso omnia alia intelligit ut oblecta secundaria. Similiter Deus non invenit bonitatem in rebus sed ~~amando~~ bonitatem suam/facit ut alia sint entia et bona; praeterea non alio actu bonitatem suam amat et alio actu diffundit bonitatem suam ut alia sint entia et bona; sedam eodem actu, quo se amat ut obiectum primarium, etiam propter suam bonitatem alia amare potest et amat ut obiecta secundaria. I, 19, 5; I, 20, 2; cf. I, 14, 5, 3m.

h Ex his colligitur Deum alia velle non ex appetitione finis sed ex amore finis.

Non enim Deus alia vult tamquam medium quibus ipse finem suum attingat; ipse enim ab aeterno est suus finis.

Sed Deus alia vult quia ita erga bonitatem suam amore superabundat ut etiam alia et alios in eundem finem ordinare velit propter ipsum finem.

i Ponitur obiectum secundarium possibile, vel tantum simpliciter intelligentiae et scientiae media exhibatum, non ut sit causa vel motivum diuine voluntatis, sed ut non causa vel inrationabiliter fingatur Deus velle alia. Ideo Deus, vel alia propter bonitatem suam quia participantib[us] bonitatem seu sua opera sunt propter bonitatem suam

amando/

i Ponitur obiectum secundarium possibile divinae volitionis, per scientiam simplicis intelligentiae et scientiam medium exhibutum (§15, d), non ut sit causa vel motivum divinae volitionis, sed ut unicum motivum ei applicari possit.

Non enim caece Deus vult alia, sed sicut alia vult propter bonitatem suam et sicut bona sunt per participationem suae bonitatis, ita etiam cognoscit ea posse esse et bona esse per suam virtutem et propter suam bonitatem.

Notandum est scientiam medium non supponere Deum quicquam velle praeter se ipsum sed supponere hypothesis eiusmodi volitionis; quae sane hypothesis non in voluntate divina sed in divino intellectu est.

j Obiectum secundarium actuale est hic ordo universi cum omnibus suis partibus, motibus, relationibus.

Quod obiectum liberrimo consilio Deus vult esse; quare hoc velle de Deo dicitur contingenter et ideo per denominationem extrinsecam habet adaequationem veritatis.

Quod obiectum est totum quoddam, unum, intelligibile, et completum (§12); quare per modum unius a Deo volitur unica illa volitione quam unicum motivum vult.

Quamvis ergo convenienter sermonem nostrum dividamus de amore, providentia, gubernatione, permissione mali, praedestinatione, reprobatione separatim disputantes, tamen haec divisio sumitur non ex multiplicata volitione divina neque ex pluralitate obiectorum secundariorum a Deo volitorum sed solummodo ex nostro modo concipiendi qui pedentem a partibus obiecti in totum progrediatur necesse est.

k Dices: libertas est proprietas intrinseca, ideoque per denominationem intrinsecam dicitur. Non ergo salvatur libertas divina in hac theoria ubi tantum dicitur per denominationem extrinsecam.

Respondetur: figura mento imaginationis credis, si maiorem arbitraris esse veritatem per denominationem intrinsecam, minorem per denominationem extrinsecam; si vero dubitas ens et verum converti, aut materialismo aut idealismo indulges; Deum denique immutabilem esse testantur documenta fidei (DB 254, 346, 428, 463, 703, 1701, 1782, 1804) qui cum infinite perfectus sit perfectione augeri non potest (DB 1782).

Porro, vere dicitur libertas Deo intrinseca; libertas enim in virtualitate consistit, nempe, posse hoc vel illud; sicut nostra voluntas libertate gaudet quatenus in actu respectu finis potest hanc vel illam volitionem efficere, ita Deus libertate gaudet quatenus actus purus potest quodlibet possibile producere; at nostra voluntas imperfecta est quatenus volitione mediorum perficitur, et eiusmodi perfectibilitas in Deo infinite perfecto haberi non potest.

§16. De Amore Divino.

a Amare est velle bonum alicui. I, 20, 1, 3m.

Quare quatenus amor dicit bonum velle, redeunt omnia
quae dicta sunt de voluntate divina.

Addit autem amor super velle quoddam obiectum-cui;
quae addition fit non per analysin in magis abstracta
sed per reditonem in magis concreta.

Bonum enim et ens convertuntur; at omne ens est exsistens;
omne ergo bonum est cuiusdam subiecti exsistentis; et ideo
velle bonum etiam est velle bonum alicui seu amare.

b Evitanda est confusio illa per quam obiectum-cui amoris
intruditur in ordinem finium. Finis-cui non est finis.
Nam finis est bonum quod volitur.

Existit ordo quidam bonorum scdm quod totum minus
includitur in toto maiori usque ad totum maximum creatum
quod est ordo universi; et omnia haec bona in ipsam
bonitatem divinam tamquam in finem ultimum ordinantur.

Porro, secundum ordinem bonorum et finium sumitur etiam
ordo obiectorum-quibus. Sicut enim amare est velle bonum
alicui, ita plus amare est velle maius bonum alicui. I, 20, 3, c.

Quare maxime amat Deus personas divinas quibus vult
maximum bonum quod est esse Deum. Deinde plus amat electos
qui^{bus}-vult-communicationem-ipsius-beati-divini
Xtum cui vult communicationem eius quod est esse divinum;
deinde amat electos quibus vult communicationem beatitudinis
divinae; deinde amat iustificatos quibus vult inhabitacionem
Spiritus sancti; et similiter mensura finita Deus amat
creaturas secundum mensuram bonitatis eis volitam.

c Et sic resolvitur apprens conflictus inter bonum commune
et bonum particulare personale.

Inter bona creata Deus maxime amat ipsum ordinem universi
tamquam obiectum-quod; est enim bonum maximum quod in se
includit omne aliud bonum creatum.

Ex quo concludi non potest Deum magis amare ordinem universi
quam amat personas, puta, Beatae Virginis. Persona enim
amatur non ut obiectum-quod sed ut obiectum-cui; et magis
amatur persona quo maius bonum ei volitur.

d Sicut sumitur mensura seu ordo amoris erga personas
secundum mensuram et ordinem boni eis voliti, similiter
sumitur motivum amoris ex motivo volendi eis bonum.

Quare cum ipsa bonitas divina est motivum unicum
propter quod Deus alia bona vult, ita etiam est motivum
unicum propter quod alias personas amat. Et ideo dicitur
quod Deus non invenit amabilitatem in creaturis sed facit
eas esse amabiles. I, 20, 2.

✓ §17. De Causa Efficiente.

a Antequam de divina operatione in omni operante tractemus, operae pretium esse videtur naturam causae efficientis et eiusdem divisiones exponere.

b Cause efficientes definitur ea quae actione sua in effectum influit.

In causa efficiente distinguuntur "posse agere" et "actu agere."

"Posse agere" tripliciter dividitur: potentia essentialis, habitus, et actus secundus; ita qui habet intellectum possibilem, qui habet habitum scientiae, et qui habet actum intelligendi potest producere verbum; similiter qui habet voluntatem, habitum in voluntate receptum, actum volendi finem potest producere volitionem mediorum.

"Actu agere" dicitur de eo qui potest agere per denominationem extrinsecam ab ipso effectu.

"Actio" "influxus" nihil est nisi ipse effectus prout realiter dependet ab agente, prout relationem realem dependentiae "ab agente" habet, prout vere ab extrinseco agentem denominat. Quare "actio" "influxus" non est imaginandus quasi accidens vel substantia transiens ab agente in patēens.

c Proportio causae efficientis definitur per ipsam causae naturam propriam et determinat quales effectus producere possit.

Non enim quaelibet causa quemlibet effectum producere potest.

d Solus Deus est esse per naturam suam; quare solus Deus est causa proportionata ad producendum esse.

Sequitur ulterius omnes causas creatas esse causas solummodo in ordine essentiali: scilicet, non sunt causae efficientes ut effectus existat, sed tantummodo sunt causae efficientes ut effectus sit talis.

Sequitur ulterius causam efficientem et creatam, si effectum existentem producat, eum tamquam instrumentum Dei producere.

e Quaeritur ergo quemadmodum omnis causa creata fiat instrumentum Dei. Respondetur ex simplici rerum analysi hoc fieri per applicationem.

Nullum enim agens creatum potest producere patiens in quod agat; neque ullum agens creatum potest producere conditiones praerequisitas ut agat; quare necesse est ut omni agenti creato procurentur ab alio et patiens in quod agat et conditiones praerequisitae ut agat.

Quae procuratio est praevia ad actionem agentis creati; est ab alio; et nominatur applicatio.

f Porro, sola causa per se applicationis est Deus. Et arguitur tripliciter.

Nulla causa creata est causa per se applicationis alterius causae; nam ipsa pariter indiget applicatione ut ipsa agat; et nisi agat non potest aliam applicare. Infinita series causarum creatarum, quarum unaquaque indiget applicatione ut agat, non constituit causam per se applicationis.

Ulterius, evidenter nulla causa creata est proportionata ad efficiendam applicationem alterius causae. Ut enim conditiones praerequisitae impleantur, non sufficit ut hoc et illud fiant; præsterea necesse est ut arceatur omnis causa creata quae actionem et effectum impedire possit. Quare causa quae proportionatur ad productionem applicationis est causa proportionata ad gubernium universi; at omnis causa creata est tantummodo pars universi et, cum pars sit toto minor, non proportionatur ad gubernium universi. Iterum ergo reliquum est ut Deus sit sola causa per se applicationis.

Tertio, Si causa creata esset causa per se applicationis, etiam esset causa per se effectus existentis ut existentis; atqui supra demonstravimus conclusionem consequens esse falsum (§17, d); ergo etiam antecedens est falsum.

Ad maiorem: datis enim agente actuato, paciente, et conditionibus omnibus impletis, sequitur effectus existens.

g Notandum est modernos scientiae physicae peritos, qui tamen "causam per se" concipere non possunt, sic enuntiare legem causalitatis efficientis: si A et B sunt duo status universi in duobus momentis distinctis, tunc recurrente statu A etiam recurret status B. Clare ergo et distincte isti vident necessitatem applicationis supra descriptæ.

h Non minus voluntas libera quam causa naturalis indiget applicatione.

Actio enim libera voluntatis supponit conditiones praerequisitas; applicantis est ut conditiones impleantur.

Praerequiritur enim influxus e medio physico et sociali in sensus, influxus e sensibus in intellectum, ipsa actio intellectus; etiam praerequiritur ut voluntas etiam habitibus ornata movetur in actualem volitionem finis; his positis voluntas libere se determinat ad volitionem mediorum, ubi determinatio ut entitas est ipsa mediorum volitio.

i Quaeritur denique quemadmodum Deus omnem virtutem creatam applicet et tamquam instrumentum usurpet.

Respondetur per ordinem universi.

Sicut scribens machina dactylographica singulas litteras per claves machinae scribit, ubi singulae claves proportionantur singulis litteris scriptis, et tamen solus scribens proportionatur intelligibilitati scripti:

similiter Deus singulis momentis per ordinem universi habet varias causas applicatas ad actiones quibus sua vice aliae causae ad actiones suas applicantur.

Quod fit per se et continuo ex preconceptione divina ipsius ordinis universi. Quare docet S. Thomas Deum omnia movere ad proprios fines per intellectum suum.

Sicut/

§18. De Actione Divina.

a Circa actionem divinam quattuor praecipuae sunt sententiae, nempe, S. Thomae, Durandi, Bannessii, et Molinae.

b Sententiam S. Thomae tractavimus alibi; vide Theol. Stud., III(1942), 375-402, 533-53; VIII(1947), 404-44.

Secundum hanc sententiam distinguuntur duo aspectus divinae actionis ad extra; aspectus causalitatis efficientis (§§5, 17); et aspectus causae transcendentis (§§8, 9).

Secundum aspectum causalitatis efficientis sic proceditur. Causa causae est causa causati.

Atqui Deus quadrupliciter est causa causae: Deus enim creat, conservat, applicat, et tamquam instrumentum usurpat omnem causam creatam.

Ergo Deus est causa causati cuiuslibet.

Maior est evidens; minor probata est sectione praecedente (§17); sensus conclusionis est omnem effectum esse actionem Dei ut causae primae et principalis, ubi "actio" dicit actum huius ut ab hoc (vide §5).

Secundum aspectum causae transcendentis additur hoc: quia Deus est infinite perfectus, quidquid sicut, vult, facit, necessario est; quae tamen necessitas per se est minima illa quae dicitur ex suppositione sui (§8).

c Circa hanc sententiam notentur sequentia.

Ponit Deum causam mediataam-mediatione suppositi sed immediatam immediatione virtutis.

Mediatio suppositi facile intelligitur: qui scribit calamo vel machina, scribit mediatione suppositi; scilicet intervenit suppositum instrumenti.

Immediatio virtutis dicit causam primam et principalem. Sumitur notio ex parallelo logico: praemissa immediata est per se evidens; non indiget termino medio syllogistico inter subiectum et praedicatum ut demonstretur. Sicut ergo praemissa immediata se habet ad conclusiones, ita causa immediata immediatione virtutis se habet ad effectus; in utroque casu non habetur dependentia a quodam superiore.

d Deinde, aestimare quis potest causam applicationis esse causam occasionalem; nihil influit in effectum; solummodo implet conditiones praerequisitas.

Quod aestimatur ex negligentia distinctionis inter causam in ordine exsistentiali et causam in ordine essentiali; Causa applicationis est causa in ordine exsistentiali; conditio et occasio distinguuntur contra causam non in ordine exsistentiali sed in ordine essentiali.

Aliis verbis, qui influit in effectum implendo conditiones non influit in essentiam effectus sed in eiusdem exsistentiam; Deus influit in essentiam effectus creando et conservando causam creatam; influit exsistentiam effectus applicando; influit in adaptationem effectus ad ordinem universi usurpando causam creatam tamquam instrumentum.

e Tertio, proprietas divina transcendentiae non potest attribui cuilibet enti creato quantumvis perfecto; sequitur enim haec proprietas ex infinita Dei perfectione; et ideo in perfectione finita esse non potest.

§18, f, continuatur de actione divina.

f Quarto, effectus causae naturalis est necessarius ex suppositione alterius. Notate tamen illud aliud quod supponendum est non consistere in sola causa naturali sed in causa naturali applicata. Necessitas legum naturalium est non in concreto sed in abstracto; gravia non semper cadunt et levia non semper sursum feruntur sed hoc faciunt de facto et in concreto "ut in maiori parte" seu quando nihil impedit.

g Quinto, actus voluntatis aut liber est formaliter aut virtualiter; virtualiter quidem in quantum actum ~~liberum~~ formaliter liberum producit; formaliter vero in quantum ipse actus non est necessarius ex suppositione alterius.

Virtualiter libera est volitio finis.

Formaliter libera est volitio eius quod ad finem est.

Quae libertas tripliciter fundatur: ex parte rei in quantum obiective pluribus viis ad eundem finem pervenitur; ex parte intellectus in quantum supposito fine nullis argumentis demonstrativis sed solis argumentis suasoriis, dialecticis, rhetoricae electio huius modi determinati concludi potest; ex parte denique ipsius voluntatis in quantum ipsa voluntas consiliationem terminat et mediante ultimo iudicio practico ipsa se movet ad volitionem modi determinati.

Neve dicas actum voluntatis liberum esse necessarium, non quidem ex suppositione alterius creati, sed ex suppositione Dei praescientis, volentis, facientis. Nam quod Deus scit, vult, facit hanc electionem, verum quidem est et tamen tantummodo in signo simultaneo veritatis, scilicet, ex denominatione extrinseca ab ipsa electione.

Quare concludes bene definitam esse libertatem a Molina dicente voluntatem esse liberam quae, positis omnibus ad agendum requisitis, potest ~~se~~ et agere et non agere.

h Sexto, ut Deus sit certus de effectu causatum naturalium, non necessario considerat suam transcendentiam; hi enim effectus sunt necessarii ex suppositione alterius cuius ipse Deus est causa; quidquid enim impedire posset effectum causae naturalis, illud est effectus actionis divinae tum quoad esse tum quoad agere.

Alia ex parte, ut Deus sit certus de effectu causae liberae, necessario considerat suam transcendentiam; causa nam effectus causae liberae non est necessarius ex suppositione alterius; et sine necessitate obiectiva non habetur certitudo subiectiva.

~~At tandem non est supponendum causam liberae nisi ad modum transcendentiam esse quia duas distinctas causas liberae sunt: altera in necessariis et altera in libris utitur Deus "Preparatur voluntas a domino." Homo quidam se gubernat, at Deus ~~et~~ non hominis gubernationem determinat. Hoc est unus in determinatione voluntatis eius quod est ad finem hic et mundi. Supposita reflectione et consilio de modo nostro vivendi aliquam influxum exercemus in formatione habituum. At causa per se effectum ex necessitate, ex media physico et sociali, ex educatione parentes, magistros, amicos, episcopos, sicut etiam causa sole, ventorum in intellectu et in voluntate nostra est ratio causa. Dausa nunc quam libera voluntas non~~

§18, c, continuatur de actions divina.

Bock. p. 26

7ec

Quarto, et causa naturalis et libera voluntas creata sunt causae in ordine essentiali; ita inter eas tamen haec differentia intercedit quod positis omnibus entibus creatis ad agendum requisitis effectum suum necessario producit causa naturalis, contingenter producit voluntas libera.

i Septimo, quamvis Deum suam transcendentiam considerare oporteat ut certus sit circa actus liberos, nihilominus per applicationem et instrumentalitatem Deus vere gubernat liberum arbitrium sicut et aliam virtutem creatam. Uti enim docet S. Augustinus, "Praeparatur voluntas a Domino." Uti docet S. Thomas, Deus gubernat ipsam hominis gubernationem sui. Uti docet Suarez, Sunt gratiae antecedenter congruae.

Ad cuius rei intelligentiam consideranda sunt tum singuli actus liberi tum tota series actuum liberorum in singulis hominibus; praeterea, circa singulos actus sunt consideranda tria, nempe, exercitium, specificatio, et exceptio quaedam quae est formale peccati.

Quoad exercitium cuiusdam actus formaliter liberi, ipse homo est causa per se quatenus, supposita volitione finis et supposita consiliatione ex volitione finis, homo se movet ad volitionem eius quod ad finem est.

At etiam Deus est causa per se eiusdem exercitii; causa enim causae est causa causati; atque Deus causat volitionem finis, causat lumen intellectuale sub quo reflectitur homo atque consiliat, causat adiuncta omnia exteriora et habitus dispositionesque interiores.

Quoad specificationem eiusdem actus formaliter liberi, ipse homo est causa per se inquantum volendo finem vult hoc ultimum iudicium practicum esse ultimum per quod se movet ad volendum bonum illo iudicio exhibut.

At etiam Deus est causa per se eiusdem specificationis si quidem ipsa specificatio intelligibiliter continetur in iis quae actum liberum antecedunt. Atque datur triplex nexus intelligibilis inter antecedentia et ipsum actum liberum. Ergo, quia Deus causat ipsa antecedentia, etiam causat specificationem actus liberi.

Primo, ad minorem, triplex existit nexus, nempe, ex parte rei, ex parte subiecti, et ex parte gratiae.

Ex parte rei existit nexus intelligibilis inquantum omne operabile intelligibiliter exsurgit ex adiunctis et ex fine supposito: sicut enim hypothesis scientifica se habet ad data sensibilia intelligenda, ita operabile se habet ad adiuncta in quibus operandum est ad finem; et sine nexu eiusmodi inutilis prorsus esset consiliatio.

Ex parte subiecti existit nexus intelligibilis inquantum electio consiliatio et electio se habent ad dispositiones habitusque subiecti sicut operabile se habet ad adiuncta et hypothesis se habet ad data; et sine nexu eiusmodi nulla esset cognitio hominum quales sint, neque ars ulla politica ad eos gubernandos atque ducendos, neque ars utilitas praxeos asceticae ulla.

Ex parte gratiae existit nexus intelligibilis inquantum infunduntur habitus supernaturales et superadduntur illuminationes intellectus et inspirationes voluntatis quibus serio reflectamur et finis ultimi amore permoveamur et contra habitus dispositionesque oppositas eligere-valeamus consiliare atque eligere valeamus.

§18, i, continuatur de actione divina.

28

His ergo positis ad maiorem est redeundum.

Continetur specificatio huius electionis huius hominis intelligibiliter in lumine sub quo consiliat, in fine ad quem consiliat, in amore finis ex quo consiliat et eligit, in adiunctis exteriorebus vel interioribus circa quae consiliat, in dispositionibus et habitibus corporis, sensuum, intellectus, ipsius voluntatis secundum quos sponte sibi fiunt et consiliatio et electio nisi interveniunt imredientia sive ex providentia divina externa sive ex gratiis interne receptis.

Qui tamen nexus, quamvis sit intelligibilis et determinatus, tamen non est necessarius. Alius est nexus in syllogismo scientifico et demonstrativo. Alius est nexus in syllogismo rhetorico sive vel dialectico. Uterque est nexus intelligibilis et determinatus; at ille necessarius est, et hic contingens.

Quia ergo nexus ille sibi contingens est, manet libertas. Quia autem intelligibilis est atque determinatus, datur causalitas; quae causalitas est ex Deo qui solus est causa per se omnium qui influunt in electionem specificandam.

e

Quoad exceptionem quae est formaliter peccati, notandum est quod non est ens neque actio sed actionis privatio; in eo enim est quod appetitus rationalis irrationabiliter non agit. Iam vero quod non est ens, in causam reduci non potest. Ideoque quamvis Deus causat et exercitum actus et specificationem actus, tamen nullo modo causat formale peccati. Iterum quamvis dentur gratiae congruae, nulla est gratia incongrua; semper enim gratia congrua est cum bono consilio et bona electione; at homo irrationabiliter gratiae non consentit.

qua boni,
Denique, si non singulos actus formaliter liberos sed ipsam totam seriem omnium actuum liberorum cuiusdam hominis consideramus, elucet Deum esse solam causam per se totius seriei.

Abstracte hoc constat ex eo quod tota series est praeter intentionem hominis et ideo solummodo per accidens ab homine est. Iterum constat ex notione causae per se quae est una in se et diversa ab effectu et simul cum toto effectu; at actus hominis sunt multi; praeterea, si in se totam seriem intendisset et elegisset, hic actus esset pars seriei et ideo pars effectus; denique, nullus actus hominis est simul cum omnibus eiusdem actibus.

Concrete hoc constat quia actus nostri liberi inter se pugnant, quia libertas nostra effectivitatem est circa hic et nunc (resolutionem enim hodie initam non hodierna libertas sed crastina exsequitur), quia futura ignoramus et praeterita iam immutabilia facta sunt, quia virtute progrederimur cuius progressus ipsis non possumus esse causae dum ad eum sumus in potentia, etc.

At Deus summa sapientia sua omnia ordinat et summa bonitate omnem ordinem omnemque seriem ordinatam vult. Ipse ergo est causa per se totius seriei actuum liberorum singulorum hominum exceptis peccatis.

i Octavo, cum numero antecedente ~~ix~~ (§18, i) constat de ipsa gubernatione liberi arbitrii, iam de modo eiusdem gubernationis est dicendum. In modo enim invenitur et certitudo intellectus et efficacia voluntatis et irresistibilitas actionis.

Nam primo in scientia simplicis intelligentiae qua Deus omnes mundos possibilibus cum ~~omnibus~~ suis partibus et nexibus cognoscit, conspicit Deus omnes nexus intelligibiles, determinatos, et contingentes qui intercedunt inter liberas hominum electiones et earumdem causas proximas; praeterea, pariter conspicit Deus omnes defectus intelligibilitatis ubicumque appetitus rationalis irrationabiliter ab agendo deficit; et nexus quidem intelligibiles intelligendo conspicit, defectus vero intelligibilitatis negando intelligibilitatem cognoscit.

Deinde in scientia media intelligit Deus, si ipse quemquam ex mundis possibilibus creare eligeret, omnia futura fuisse prout in scientia simplicis intelligentiae exhibentur; intelligit enim Deus dominium suum transcendens (§8).

Tertio, liberrimo consilio vult Deus quendam mundum ex possibilibus creare, nempe nostrum mundum actualem. Quod decreto pars scientiae fit scientia visionis et ipsa mundus volitus secundum successivas temporis partes status est Deo aeterno praesens. Deumque qua scientia et voluntate contingenter ab extrinsecso denominans.

Quanto, actio divina est pars huius mundi, dicit enim singulos effectus referri realiter ad Deum agentem per creationem, conservationem, applicationem, et instrumentalitatem.

Tertio, Deus liberrimo consilio quendam mundum e possibilibus, nempe nostrum mundum actualem, creare vult; mundum vult scientia sua exhibitum et prout scientia sua exhibetur; ita tamen ut quae bona sunt et cum bonis intelligibiliter connectuntur ea voluntate vult quam velit quam nominamus dicentes, Fiat voluntas tua, sed formalia peccati nullo modo vult sed tantummodo permittat (vide §20).

Quarto, ex hoc voluntatis decreto, accedit ad scientiam simplicis intelligentiae et scientiam medium illa scientia visioris.

Quinto, cum Deus sit agens per intellectum et voluntatem, efficere mundum hunc, quatenus dicit actum Dei nihil dicit nisi scientiam et liberam voluntatem supra iam positas. Pariter, cum transcendentia divina sit proprietas Dei solius (nihil enim aliud infinite perfectum esse potest), illa irresistibilitas divinae efficientiae non addit super infallibilitatem cognitionis et efficaciam voluntatis.

Sexto, quatenus agere dicit actum huius ut ab hoc, actio divina dicit ipsos effectus mundo immanentes prout a Deo agente sunt per creationem, conservationem, applicationem, atque instrumentalitatem. Per quam actionem Deus producit effectus necessarios mediatis causis necessariis et effectus contingentes mediantibus causis contingentibus, prout scientia simplicis intelligentiae exhibet et scientia media infallibiliter certum reddit. At formalia peccati sicut non sunt ~~inxix~~ intelligibilia, sicut non intelligendo sed intelligibilitatem negando cognoscuntur, sicut non volendo sed permittendo decernuntur, ita non per ordinem universi producuntur sed contra istum ordinem irrationabili defectu appetitus rationalis privationes existunt.

vero

velit/

Immanentes

§19. De divina actione sententiae aliae.

a Durandi [DTC IV 1965] sententia est: Deus immediate non concurrit; causat effectus causarum creatarum solummodo inquantum eas creat et conservat.

Quae sententia est reicienda 1) quia non agnoscit immediationem virtutis, 2) quia non agnoscit applicationem et instrumentalitatem causae creatae, 3) quia praetermittere videtur divinam transcendentiam.

b Molinae [DTC X 2110 ff] sententia est: Deus immediate concurrit ad omnem effectum producendum; quae immediatio est suppositi; Deus et causa creata sunt causae partiales et integrantes; Deus producit esse effectus, causa creata producit talietatem effectus.

Quae sententia verum dicit inquantum intelligit divinam transcendentiam esse in signo simultaneo; minus tamen placet 1) quia non agnoscit applicationem et instrumentalitatem, 2) quia non agnoscit immediationem virtutis, 3) quia non concipit transcendentiam divinam tamquam modum divinae causalitatis. *Etiam vide # 10. f.*

c Bannez [DTC II 145] docet praemotionem physicam; dicit "praemotionem" contra concursum simultaneum; dicit "physicam" contra motionem dictam moralem per intellectum in voluntatem.

Quae praemotio etiam est praedeterminatio: posita prae-motione, fieri non potest ut effectus non sequatur; non posita praemotione, fieri non potest ut effectus sequatur.

Quae tamen praedeterminatio libertatem auferre non censetur; Deus enim producit pari infallibilitate, efficacia, irresistibilitate effectus sive necessarios per causas necessarias sive contingentes per causas contingentes, uti optime docet St. Thomas.

Denique ista praemotio est id quo Deus omnia applicat et tamquam instrumenta usurpat, uti etiam legitur apud Aquinatem.

Caeterum, haec sententia non solum auctoritate sed et ratione fulciri creditur.

In primis circa viventia, cum vivens ideo vivit quia se ipsum movet, sequitur singulas viventis potentias se ipsas movere ad actiones suas; quod sane sine præmotione facere non possunt; nihil enim suam perfectionem augere potest.

Deinde circa omnia agentia creatæ: realis sane distinctio agnoscenda est inter "posse agere" et "actu agere"; at "actu agere" dicit augmentum perfectionis agentis; quod ex ipso agente esse nequit; neque ex alia creatura, nam dato "actu agere" sequitur esse effectus ad quod producendum solus Deus proportionatur.

~~Sed secundum Thomam est non vera~~

Book 1 p. 30
FEC

§19. De sententiis aliis circa actionem divinam.

a Sententia Durandi [DTC. IV 1965] est: Deus immediate non concurrit; causat effectus causarum creatarum solummodo inquantum creat et conservat entia eorumque virtutes.

Quae sententia est reicienda 1) quia non agnoscit immediationem virtutis Dei, 2) quia non agnoscit Deum solum esse causam per se applicationis et

§19. De actione divina, sententiae aliae.

31

d Quae sententia multis atque gravissimis laborat defectibus.

Primo, indubium est Deum per matiam suam mutare habitus dispositionesque voluntatis; ideoque plane Deus potest immediate in ipsam voluntatem influere; minime tamen constat Deum singulis vicibus mutare eiusmodi habitus vel dispositiones.

Secundo, obiectum intellectu praesentatum per causalitatem efficientem et physicam producit actum voluntatis, et quidem ex propria proportiore producit specificationem actus, instrumentaliter vero producit exercitium ~~actuum~~ actus.

Vere dicitur ista actio physica: nam "natura" invenitur non solum in materialibus sed etiam in spiritualibus.

Nequeobstat contingentia effectus seu libertas voluntatis: agit enim intellectus ut instrumentum voluntatis quae in actu est respectu finis, in potentia vero respectu medii; unde explicatur libertas eo quod voluntas facit ut ultimum iudicium practicum sit ultimum. Quantum autem volitionem ipsius finis attinet, voluntas non est libera; tunc agit intellectus ut instrumentum supremi applicantis qui est Deus.

Proinde, constat obiectum intellectu praesentatum aut causam aut conditionem esse specificationis actus voluntatis; si mera conditio est, habetur opinio Petri Ioannis Olivi et aliorum Augustiniensium medievalium qui reiebant illud Aristotelis, "quidquid movetur ab alio movetur." Si vero obiectum intellectu praesentatum est causaspecificationis actus, aut causa partialis est et simultanea concurrit ipsa voluntas ut alia causa partialis, et sic habetur opinio Scoti qui concausas eiusmodi invenit et introduxit; aut ~~aut~~ tandem denique obiectum intellectu praesentatum est causa instrumentalis, ut supra exposuimus.

Tertio, opinio Banneziana attribuit praedeterminationi proprietatem exclusive divinam, ut effectus praedeterminationis sit infallibilis, efficax, irresistibilis et tamen effectus maneat contingens. Agnoscamus eiusmodi proprietatem transcendentiae in Deo quia ipse est in perfectione infinitus; at sicut Deus aliud Deum creare non potest, pariter praedeterminationes cum proprietate exclusive divina producere non potest.

Quarto, effugium nullum est dicere non intrinsece sed extrinsece pertinere transcendentiam ad praedeterminationes. Perpetuo loquuntur Banneziani de intrinseca gratiae efficacia. Praeterea, si extrinseca esset ista efficacia, nulla esset. Nam praedeterminatio est in signo praevio ad suum effectum; at ipsa divina transcendentia non est in signo praevio sed in signo simultaneo cum ipso effectu et quidem per denominationem extrinsecam ab effectu. Unde apparet praedeterminationes gaudere perfectione maiori quam ipse Deus.

§19. De actione divina, sententiae aliae, §

Quinto, S. Thomas per applicationem non intellexit istas praedeterminationes; a applicatio S. Thomae cum necessitate deducitur ex eo quod corpus caeleste movet inferiora, et Deus movet corpus caeleste; loge De Potentia q. 3, a. 7 c. Circa illud "ut actu agat" ibid., ad 7m, lege I, q. 116, aa. 1-3, ubi S. Thomas dicit fatum relationibus consistere. Iam vero praedeterminationis non deducitur cum necessitate ex motione corporis caelestis neque relationibus constituitur.

Sexto, vivens movet se ipsum secundum Aristotelem et S. Thomam in quantum una pars in actu movet aliam partem in potentia. Illa opinio de potentiis vitalibus sese moventibus est Augustiniensium reiecalium et derivatur ex opinione S. Augustini de anima ms sese movente. At Augustinienses reicabant illud "quidquid movetur ab alio movetur." Bannez autem, postquam posuit potentias vitales se moventes, invocat principium Aristotelicum ut habeant praedeterminationes physicas.

Septimo, semper differunt posse agere et actu agere; diversimode tamen pro diverso sensu tou agere. In quantum agere dicit actum secundum uti sentire, intelligere, velle, istud agere in agente recipitur. In quantum agere dicit exercitium causalitatis efficientis, et de hoc nunc est quaestio, actu agere est ipse effectus ut dependens a causa; qui effectus in paciente recipitur et non in agente; vide §5. Porro, actu agere nihil entitatis per se ponit in agente, ita tamen ut diversa sit conditio primi agentis et causae secundae ut actu agant; primum agens applicante non indiget, nam creatum; causa vero secunda creare non potest et ideo indiret applicante, ut fusius supra explicatum est, §17.

Octavo, ut vitia radicalia huius sententiae aperiantur, duo ulterius sunt addenda. Actio Dei in omni actione creaturee stabilitur pura analysis metaphysica et pura necessitate per metaphysica existit; ideo Deus in omni operante operatur quod res aliter se habere non potest et non quia homo inveniat motus vel praemotiones praeter eos qui omnibus fatentibus existunt; aliis verbis, doctrina S. Thomae de Deo op-rante creando, conservando, applicando, et usurpando manet integra etiam totaliter omisis atque explosis praemotionibus et praedeterminationibus Benozzianis. Praeterea, Deus est agens per intellectum infallibilem et voluntatem efficacem; irresistibilitas divinae actionis non addit super istam infallibilitatem atque efficacitatem, sicut ipse divina actionem addit omipo'entia non addit supra intelligere et velle divinum. At verentur forte Benozziani ne actio per intellectum infallibilem et voluntatem efficacem careat irresistibilitate ne accedit splendida illorum creature, nempe, praedeterminationis physica.

Nono et decimo, per istam theoriam tollitur libertas hominis, tollitur gratia vere sufficiens, et Deus fit auctor peccati, uti alibi et fusius probantur.

§20. Utrum formale peccati in Deum aus reduci possit.

a Dominium Dei est transcendens. Si enim hoc aliquid esse Deus scit, vult, facit, necessario hoc est (§8). Praeterea, Deus est omnispons atque omnipotens; quare nihil esse potest nisi Deus scit et volens facit.

At hoc in mundo sunt peccata formalia. Ture ergo quaeritur utrum formale peccati in Deum reduci possit.

Respondetur formale peccati in Deum reduci non posse sive tamquam in causam sive tamquam in auctorem sive ullo prorsus alio modo.

b Et in primis formale peccati in Deum tamquam in causam efficientem vel ~~soritionem~~ reduci non potest.

~~Non enim potest fieri reductio in causam nisi existit effectus qui reducatur.~~

Non enim potest fieri reductio in causam nisi existit effectus qui reducatur. At formale peccati non est ens quoddam existens sed entis privatio (§14, c).

c Latius vero patet notio auctoris quam notio causae. Quamvis quod non existit in causam reduci non possit, in auctorem tamen reduci potest. Respondet enim auctor non solum de iis quae agendo facit sed etiam de iis quae omittendo non facit.

Iam vero, praesupposita theoria circa actionem divinam supra exposita (§18), Deus neque causa neque auctor est formalis peccati; imo, Deus est et causa et auctor ut nullum sit formale peccati.

In intellectu enim Deus dat lumen rationis et superaddit lumen gratiae quibus homo videat non esse peccandum; in voluntate Deus dat appetitum rationalem boni rationalis et superaddit inspirationem gratiae quibus homo *velit* facere quod intellectu faciendum esse conspicit. Quatenus ergo agit Deus, facit ut non sit formale peccati.

Noque dici potest Deum omittere omittendo non facere quae facienda erant ut homo non peccaret. Actio enim divina est sufficiens per se ut homo non peccet; imo, nulli denegat Deus gratiam sufficientem ad salutem consequendam.

Cum ergo Deus neque propter ea quae facit neque propter ea quae omittit dici possit auctor formalis peccati, constat in Deum auctorem formale peccati reduci non posse.

d At aliter respondendum esset si quis affirmaret theoriam praedeterminationis physicae. Malum enim culpe seu formale peccati formalis est defectus actionis debitae in voluntate. Iam vero aut Deus dat praedeterminationem physicam aut non dat; si dat, actio debita necessario fit; si non dat, actio debita necessario non fit. Numquid ergo praedeterminatione physica non facit Deum causam peccati formalis, tamen facit eum auctorem. Auctor enim respondet non solum de iis quae agendo facit sed etiam de iis quae omittendo non facit.

e Quibus positis, concludes ad radicalem differentiam inter theoriam supra (§18) positam et theoriam praedeterminationis physicae.

Secundum theoriam propositam, quem reputamus S. Thomae, ex infinita Dei perfectione sequuntur tum infallibilitas divini intellectus tum efficacia divina voluntatis; proinde cum Deus sit agens per intellectum et voluntatem, ex infallibilitate intellectus et efficacia voluntatis sequitur irresistibilitas actionis. Quae irresistibilitas non addit super infallibilitatem et efficaciam sed cum iis identificatur sicut etiam potentia agendi non addit super intellectum et voluntatem sed cum iis identificatur.

At secundum theoriam praedeterminationis physicae, irresistibilitas actionis addit super infallibilitatem intellectus et super efficaciam voluntatis; addit nempe praedeterminationem physicam que est creatura in creatura recepta. Sed cur additur? Timentne fautores huius sententiae ne sine praedeterminationibus physicis intellectus divinus careat infallibilitate et voluntas divina careat efficacia? Supponuntne illi fautores non sufficere infinitam divinam perfectionem ~~sufficiens~~ ad fundandam tum intellectus divini infallibilitatem tum voluntatis divinae efficaciam? An sommiantur divinam agendi potentiam esse aliud ac divinus intellectus divinaqua voluntas? An forte credunt actionem per intellectum infallibilem ~~et~~ atque efficacem voluntatem quodammodo non esse irresistibilem?

f Qua occasione data connexam questionem breviter attingo. Quaeri enim potest utrum sufficiat illa actio divina supra exposita (§18) per creationem, conservationem, applicationem, et instrumentalitatem omnis agentis creati an forte etiam superaddendus sit alius concursus simultaneus quo Deus immediate immicatione suppositi influit in ipsum esse effectus.

Inutilem esse eiusmodi additionem concludes ex nuperrime dictis (§20, e). Iam enim per applicationem et instrumentalitatem agentis creati Deus producit esse effectus immissione virtutis. Porro, quia Deus est agens per intellectum et voluntatem, sufficient infallibilitas eius intellectus et efficacia eius voluntatis ut eo ipso actio divina sit irresistibilis in signo simultaneo veritatis.

At etiam periculosam eiusmodi additionem duco. Omnino enim cavendum est ne, sicut praedeterminationis physica facit Deum auctorem peccati praeium, ita concursus simultaneus ~~faciat~~ Deum auctorem peccati simultaneum. Homini enim in gravi temptatione versanti aut Deus concurrit ut resistat aut Deus non concurrit ut resistat. Idem ergo est dilemma ac circa praedeterminationem physicam, excepto quod ponitur non in signo praevio sed in signo simultaneo. Aliqualem solutionem habes si negas formale peccati consistere in solo defectu actionis debitae in voluntate; sic enim tollitur disiunctio inter esse et non esse, cuius causa est Deus, et introducitur distinctio inter esse peccati formalis et taleitatem eiusdem cuius homo est causa. Alia ex parte, sine hac definitione peccati formalis, noli recurrere ad scientiam medium tamquam ad solutionem. Non enim Deus praevidit hominem vel volentem et resistentem sine concursu vel non volentem et non resistentem cum concursu ad voluntatem et resistentiam.

faciat/

taleitatis/

g Romaret probandum ultimum asserti (\\$20, a) elementum, nempe, nullo prorsus modo formale peccati in Deum reduci potest.

Quod methodo critica, iam indicata (\\$14, e), sic stabilitur.

Omnis reductio est secundum aliquem nexus intelligibilem inter id quod reducitur in aliud et aliud in quod reducendum reducitur.

Sed nullus nexus intelligibilis intercedit inter malum culpae (formale peccati) et quodlibet aliud ens.

Ergo nullo prorsus modo formale peccati in Deum reduci potest.

Maior videtur evidens, nam sine nexu intelligibili reductio non est rationabilis sed arbitaria.

Minor sic declaratur. Intelligibile proprie dictum est id quod intelligendo cognosci potest. Porro, intelligibile proprie dictum est duplex, nempe, in se vel in alio.

In se intelligibile quoad nos est obiectum proportionatum nostri intellectus, nempe, quidditas rei materialis.

At in se intelligibilia non sunt neque materia, quam intellectu cognoscimus non intelligendo sed ad phantasmata recurrendo, neque existentia contingens quam intellectu cognoscimus non intelligendo sed recurrendo ad sensus ut existentia quidditatis verificetur. In alio intelligibilia sunt et materia, quae in forma intelligitur, et existentia contingens, quae per reductionem ad causas efficientem et finalem intelligitur. Accidentia denique tum in se tum in alio intelliguntur; in se quatenus sunt quidditates secundum quid; in alio quatenus naturaliter resultant ex forma substantiali vel ab alia causa producuntur.

Iam vero malum culpe neque in se neque in alio est intelligibile; est enim privatio actionis debitae, contra lumen rectae rationis, contra rationabilitatem appetitus rationalis, contra ordinacionem mundi intelligibilem a Deo praeconcepitam, volitam, et promulgatam. Intellectu quidem cognoscitur, at non intelligendo cognoscitur sed intelligibilitatem negando.

Quod vero neque in se neque in alio intelligi potest, omni nexu intelligibili carcat necesse est. Quod omni nexu intelligibili caret, in aliud secundum nexus intelligibilem reduci non potest. Et sic probatur intentum quod maximi formale peccati nullo prorsus modo in Deum reduci potest.

~~U~~nto at ~~et~~ in istum argumentum reddeamus (\\$20, e) dicendum est propter dominium Dei transcendens Deum permittere ut homo peccet; quia enim Deus est omnisciens et omnipotens causa prima atque principalis omium quae in mundo sunt, fieri non potest ut homo peccet quin Deus permiserit.

At alia ex parte, quia Deus formale peccati esse permittit, minime sequitur quod formale peccati a Deo permissum in Deum ullo modo reduci potest; deest enim nexus intelligibilis secundum quem rationabiliter reductio fieri possit.

En ergo punctura duplicitis mystorii; mysterii divinae transcendentaliae quod finitus intellectus capere non posset et mysteria trinitatis creatarum quod intellectu intelligi non possunt.

§20. Utrum formulae peccati... continuatur.

16

h Quibus positis, elucet quid sit mysterium huius tractatus.

Est in primis mysterium divinae transcendentiae; nihil in mundo fieri potest nisi Deus omnis scit et Deum Dominus omnipotens vult vel permittit; at sunt formalia peccatorum in mundo; ergo Deus ea permittit.

Est deinde mysterium iniquitatis; sunt formalia peccatorum quae neque in se neque in alio intelligi possunt.

Primum mysterium excessu intelligibilitatis finitum intellectum excedit. Alterum mysterium defectu intelligibilitatis intelligentiam nullam admittit.

Ex his duobus simul sequitur Deum velle permittere peccata, nam permittere illud est actus divinus ideoque bonus et sanctus, et tamen Deum nullo modo velle peccata permissa sed ea tantummodo permittere. Vide §21, e.

~~Dices: ergo formalia peccatorum in Deum permittentem reducuntur; quod est contra assertum huius sectionis.~~

~~Respondeo: invenitur nexus intelligibilis secundum quem a formalibus peccatorum in Deum proceritur, N; coniunctur veritates simultaneae, neque, Deus permittit et formale peccati permittitur, sub-dist, propter nexus intelligibilem formalis peccati ad Deum, N, propter dominium Domini omniscientis et omnipotentis, C.~~

~~per denominationem peccati extrinsecam~~

~~per denominacionem peccati extrinsecam ex dominio transcendentie Domini omniscientis et omnipotentis, C.~~

i Dices: ergo formalia peccatorum in Deum permittentem reducuntur; quod est contra assertum huius sectionis.

Respondetur: circa permissionem divinam infra disputabitur, §23. Nunc sufficiat dicere: ex defectu actionis in voluntate in signo simultaneo concluditur ad permissionem divinam, non quia defectus est intelligibilis, sed quia dominium Dei est transiens; ex permissione divina dicitur peccatum permitti per denominationem extrinsecam. Gressus ergo sequentes sunt: 1) privatio actionis in voluntate; 2) dominatio Dei extrinseca ut permittentis; 3) ex hac denominatione extrinseca alia denominatione extrinseca peccati ut permissi. Ex his nullo modo concludi potest formale peccati esse intelligibile sive in se sive in alio; habentur enim eo quod formale peccatum cognoscitur etsi intelligibilitatem negando cognoscatur.

§20. De voluntate divina antecedente.

✓ ↗

a Ad fidem pertinet Deum ita alios praedestinare et alios reprobare ut tamen omnes salvos fieri velit.

Quia de causa distingui oportet inter antecedentem voluntatem qua omnes salvos vult Deus et consequentem voluntatem qua Deus quosdam reprobare vult. Secus adesset contradictio.

Alibi probatum assumimus hanc salvificam et universalem voluntatem antecedentem esse seriam et actuosam, neque fictam sed veram.

Illud solum ergo inquirimus qualis sit ista voluntas antecedens et quemadmodum a voluntate consequente differat.

b Prima conclusio est quaestionem ponit non circa volitionem divinam entitative spectatam neque circa ipsa obiecta volita in se considerata sed de volitione divina terminative sumpta seu prout ipsa volitio se habeat ad omnium salutem et quorumdam damnationem.

Non agitur de volitione divina entitative spectata quacum componitur Deum velle nullam esse creaturam ideoque nullam esse salvam.

Non agitur de ipsis obiectis: nulli dubium est salutem dari propter statum gratiae et poenam dari propter peccata.

Sed agitur de volitione divina terminative sumpta: quaestio enim ponitur ut defandatur bonitas divina quae omnium salutem ex parte sua vult.

c Secunda conclusio est voluntatem antecedentem esse ipsam volitionem qua Deus hunc mundum esse vult.

Terminatur enim volitio divina sive necessario ad divinam bonitatem sive contingenter ad alia; haec vero alia vel sunt hypothetica vel actualia.

Porro praeter quaestionem est volitio circa obiectum necessarium; manet enim haec volitio sive Deus vult creare sive non vult; at non manet pariter voluntas salvifica; si enim nullam esse creaturam Deus voluisse, nullam esse salvam necessario voluisse.

logick

Pariter praeter quaestionem est volitio circa obiectum mere hypotheticum; etiamsi verum esset omnes salvos fieri si Deus alium mundum voluisse, fieri potuit ut in hoc mundo Deus neminem salvum fieri vellet; quod contradicit voluntati salvifica seriae et actusae circa creature actuales.

Idem aliter concludi potest: volitio divina circa obiectum hypotheticum non tam est volitio quam volitionis hypothesis in intellectu existens; at eiusmodi hypothesis non dicit voluntatem seriam et actusam circa creature actuales.

Manet ergo quod voluntas Dei salvifica est illa volitio actualis circa actualia qua Deus hunc mundum esse vult.

(§21. De voluntate divina antecedente).

d Tertia est conclusio quod diversae habitudines divinae voluntatis ad diverse elementa huius mundi voliti.

Quamvis enim unica sit volitio divina et unum unitate ordinis sit huius voluntatis obiectum, nempe hic mundus totus, nihilominus non una est habitudo divinae voluntatis ad omnia quae in mundo sunt sed alia erga bona, alia erga mala naturalis defectus, alia erga malum culpeæ, et alia erga malum poenæ.

Prima ergo habitudo est divinae voluntatis ad bonum creatum; quae est secundum ipsam voluntatis rationem intrinsecam; unumquodque enim volitur in quantum bonum est.

Habitudine
Secunda vero habitudo est divinae voluntatis ad malum naturalis defectus; quea quidem ex priori nexu intelligibili derivatur. Qui enim vult leones existere, vult eos sustentari et ideo vult carnium coagulationem; at carnium coagula non habetur sine viventium mactatione, et ita qui vult directe illud bonum quod est leones existere, necesse est ut indirecte velit seu permittat malum particulare quod est quaedam viventia mactari.

Tertia vero habitudo est divinae voluntatis ad malum simpliciter quod est malum culpeæ seu formale peccati (§14, c). Porro, malum culpeæ Deus neque directe neque indirecte vult; non enim continetur in quodam bono communi tamquam pars vel consequens sed simpliciter est malum; et ideo, uti docet S. Thomas, Deus nullo modo malum culpeæ vult (I, q. 19, a. 29 c).

Cui consentit tum sensus communis tum sensus ecclesiæ. Quando enim oramus Deum Patrem ut fiat voluntas tua, non oramus ut peccata ulia fiant sed ut nulla fiant; nemo enim reputat peccata esse secundum voluntatem Dei, sed omnes concorditer dicimus peccata esse contra zlumak voluntatem eius qui peccata prohibet et peccatores minatur et imponitentes gravissimis poenis punit.

Quamvis autem Deus nullo modo vult formale peccati, tamen formale peccati Deus permittit (§20, h). Permissio ergo haec distinguitur contra illam Dei voluntatem qua Deus peccata nullo modo vult.

Quarta denique habitudo divinae voluntatis est ad malum consequens formale peccati. Quea quidem habitudo partim similis et partim dissimilis est ei quae supra secundo loco est posita. Et in primis dissimilis est in quantum supponit et consequitur permissionem mali culpeæ quod Deus nullo modo vult. Caeterum autem est similis in quantum respicit malum quoddam particulare quod in bono communi contingit; quod discurrendo per singula appareat. Ex malo culpeæ sequuntur materiale peccati formalis, vitia, scandalum, et nisi homo recipiscit, malum poenæ. At materiale peccati continetur in bono communi quod homo est dominus sui actus; vitia consequuntur ex bono communi quod est lex illa psychologica secundum quam actus dispositiones relinquunt unde habitus acquiri possunt; scandalum continentur in illo bono communi quo homines ab hominibus docentur ad et præmoveantur; malum denique poenæ continentur in ordine divinae iustitiae quae bonos xxviii praemiat et malos punit; Quia sane iustitia majorum quoddam et corrumpe bonum est.

e Quarta est conclusio quemadmodum distinguantur voluntas Dei antecedens et voluntas consequens.

Voluntas ergo consequens dicit unicam volitionem divinam actualem prout omnia prorsus respicit quae in hoc mundo sunt.

Circa voluntatem consequentem dicitur nihil posse esse in mundo nisi id Deus velit. Quamvis enim in mundo sunt sint formalia peccatorum, quamvis Deus formalia peccatorum nullo modo velit sed ea omnia vera voluntate prohibeat atque oderit, nihilominus in mundo non essent formalia peccatorum nisi ea fieri permisisset. Quare, in quantum "velle" latius sumitur et "permittere" includit, Deus dicitur velle voluntate consequente.

Voluntas autem antecedens periter dicit unicam volitionem divinam actualem prout omnia respicit quae Deus in hoc mundo esse vult non alienam voluntatem permittendo sed sua voluntate propria utendo.

Circa voluntatem antecedentem dicitur Deus nullo modo volle formale peccati. Hanc voluntatem significamus quando oramus: "Fiat voluntas tua." Hanc voluntatem ipse Deus significat quando peccata prohibet, etiam quando poenas minatur, quando peccata commissa odio habet, quando impenitentes punit. Quare, in quantum "velle" proprio sumitur secundum habitudinem appetitus rationalis ad bonum et ad ea quae cum bono nexus intelligibili connectuntur, ideoque in quantum "velle" non includit illud "permittere" quod respicit formale peccati, dicitur voluntas Dei antecedens.

Quibus positis, notandum est Deum voluntate antecedente velle permittere peccata, voluntate autem consequente velle peccata permissa. Ipse enim Deus, infinite bonus, permittit; ergo, ipsa haec permissione, sicut ipse Deus, est bona et ideo voluntate antecedente volita. Alia vero ex parte, peccata permitta sunt simpliciter mala neque ullo modo a Deo volita voluntate antecedente quamvis in quantum permetuntur voluntate consequente voluntur.

Quaesierit forte quispiam quemadmodum fieri possit ut tam diversa sint iudicia circa tam similia, nempe, velle permittere peccata, et velle peccata permitta. Admittimus sane nomina verbaque esse simillima; at quantum distant objecta volita; velle permittere est velle quod cum Deo identificatur; velle permitta est velle quod maxime Deo opponitur, nempe, peccatum. Tandem denique quamvis velle permittere et velle permitta in signo simultaneo veritatis inveniantur, nihilominus nullus existere potest nexus intelligibilis secundum quem peccata permitta in Deum quocumque modo reducantur. Vide §20 g, h.

(§21. De voluntate Dei antecedente, ter continuatur)

f Quinta denique conclusione exponitur voluntas Dei antecedens, salvifica, universalis, seria et actuosa, neque facta sed vera.

Quae voluntas duobus praemissis declaratur.

In primis Deus vult hoc conditionatum, nempe, neminem a regno coelorum excludi nisi peccaverit et impenitentem peccato adhaeserit.

Praeterea, Deus vult impletionem conditionis; voluntate enim antecedente nullo modo Deus vult vel aliud formale peccati vel formale peccati impenitentiae.

Unde concluditur absolute Deum velle voluntate antecedente neminem a regno coelorum excludi.

Ex obiecto "neminem a regno coelorum excludi" constat hanc voluntatem esse salvificam et universalem.

Ex duobus praemissis mensuratur quam seria, actuosa, atque vera sit haec voluntas.

In primis quod commune est utriusque praemissae, voluntas de qua agitur est illa unica volitio qua Deus hunc mundum actualem actu vult.

Deinde maior praemissa declarat divinum propositum gratuitum elevandi creaturas rationales ad finem supernaturalem easque omnes, nisi peccaverint et peccato adhaeserint, ad ipsum finem consequendum producendi. Quod sane propositum est serium, actuosum, atque verissimum.

Denique minor praemissa declarat habitudinem ipsius divinae voluntatis ad formale peccati; quam habitudinem non ficta sed vere Deus manifestat prohibitionibus, minis, atque gravissimis poenis.

antecedente

Dices: At eadem voluntate/Deus vult permettere formalia peccata.

Respondeo: eadem voluntate antecedente Deus vult permettere formalia peccata quae ipse Deus proprio suae volitionis actu vult, N; quae ipse Deus proprio actu permittit et alieno actu voluntur, C.

Notes bene voluntatem Dei salvificam non dicere Deum *simplius* velle omnes fieri salvos, quod velle peccatorum malitia frustratur; divinum enim velle frustrari nequit. Sed voluntas Dei salvifica dicit Deum ex parte suae voluntatis velle omnes salvos fieri, permettere tamen quosdam mala sua voluntate perire.

2 /

§22. Voluntatis antecedentis conceptiones eliae.

a Quidam afferunt signa seu momenta rationis; aliter enim volitur finis et aliter voluntur ea quae ad finem sunt; unde distinguunt priora signa in quibus voluntas Dei est antecedens et posteriora signa in quibus voluntas Dei est consequens.

Qui decepti videntur esse ex duplice sensu istius nominis "finis." Aliter enim dicitur finis qui est ultima rei perfectio seu ultimum complementum cuiusdam totius. Aliter dicitur finis qui est ipsum totum, seu unum, intelligibile, et completum. Porro, firis primo modo dictus est propter finem secundo modo dictum; pars enim est propter totum; et ita docet S. Thomas ordinem universi esse maximum bonum in rebus creatis et finem ultimum mundo intrinsecum (§12).

Porro objectum secundarium actuale volitionis divinae est ipse ordo universi qui in se includit omne aliud bonum creatum sicut totum in se includit suas partes. Quare hoc objecto volito, cum finis per prius volatur, non superest aliud esse actum actu volendum. Non enim totum partibus vacuum per prius volitur et deinde per secundum ordinem quomdam voluntar ipsae partes ne totum vacuum maneat. Sed totum quod volitur ut finis est totum quod definitur unum, intelligibile, ~~et~~ completum, & ~~existens~~.

b Quidam autem distinguunt voluntatem Dei conditionatam et voluntatem Dei absolutam ita ut, conditione impleta, voluntas conditionata eo ipso sine mutatione sui in absolutam transeat.

Qui decepti videntur imaginatione temporis. Quia enim decursu temporis alia esse desinunt, alia persunt, alia incipiunt secundum quod ista omnia sunt entia temporalia et inter se comparantur, simili quadam modo arbitrantur res se habere apud Deum cuius volitio prout determinatum quoddam tempus antecedit. Dicitur antecedens et conditionata, prout autem in tempore conditiones implentur sit consequens et absoluta.

Ne tamen theologi magis in sensibilius immersi quam irati scientiae physicae periti videantur, imaginatio illa est deponenda. Deo enim aeterno pariter sunt praesentia omnia temporalia quamvis haec inter se praesentia non sint (§3).

c Quidam denique, etiam temporis imaginatione deposita, distinguunt voluntatem Dei antecedentem et consequentem quasi illa sit conditionata et haec absoluta. Quod quamvis plim atque orthodoxum sentimentum exprimere possit, tamen in rigore sermonis accipi non debet.

Conditionata enim voluntas Dei aut dicit Deum hypothetice potuisse aliud velle, aut dicit Deum ~~cum~~ actu sed conditionate velle, aut dicit Deum actu et absolute velle ab quoddam conditionatum. Iam vero neque in primo sensu neque in altero neque in tertio exprimitur illa voluntas antecedens quae est salvifica, universalis, seria, actuosa, atque vera. Quod ~~per partes~~ probatur.

42

§22. Voluntatis antecedentis conceptiones aliae.

Sive enim ponitur volitio hypothetica, sive velle actuale sed conditionatum, sive ~~volutum~~ actualiter volitum conditionatum, semper queri potest utrum necne Deus actu velit impletionem conditionis.

Si vult impletionem conditionis, cum voluntas Dei sit intrinsece efficax, nulla est conditio et omnes fient salvi, quod est contra Matt. c. 25.

Si non vult impletionem conditionis, cum etiam haec voluntas sit intrinsece efficax, nemo erit salvus et voluntas salvifica est ficta.

Si quoad alios vult et quoad alios non vult impletionem conditionis, cum etiam haec voluntas sit intrinsece efficax, voluntas salvifica non est universalis.

Si vult impletionem conditionis universaliter quidem sed conditionate, redit quaestio de hac nova conditione.

d At urgetur gravissima difficultas.

Illud totum quod est ordo universi concrete sumptus non existit simul quoad omnes suas partes. Nam decursu temporis aliae partes alias succedunt, neque omnes sibi invicem umquam sunt praesentes.

Quare absurdum est dicere illud totum esse finem quod numquam existit completum, et ita ruit obiectio contra ponentes signa rationis.

Pariter necessaria est consideratio temporis cum tempus sit de ipsa ratione istius ordinis, et ita built obiectio contra ponentes voluntatem conditionatam quae debito tempore et impletis conditionibus vel non impletis transit in absolutam voluntatem.

Respondetur: partes universi non sunt omnes sibi invicem praesentes, C; partes universi non sunt omnes pariter praesentes enti aeterno, N.

Iam vero quaestio ponitur non de ipsis volitis sed de ipsa Dei volitione prout volita sua respicit; quae volitio est ens aeternum, ideoque partes universi sunt considerandae non ~~per~~ prout inter se comparantur, neque prout ad nostrum intellectum comparantur, sed prout ad divinam volitionem comparantur. Quare non runt obiectiones supra positae.

Denique non est reputanda scientia divina inferior quia non potest dividi secundum partes temporis sicut dividitur cognitio nostra sensibilis. Etsi enim ens temporale habeat partes suae existentiae post partes, nihilominus est idem ens cuius nulla existentiae pars est totum. Deus verius cognoscit per substantiam rei identicam quam nos per divisas existentiae partes successivas.

§23. Cur Deus malum culpae permittat.

a Distinguitur duplex usus divini dominii transcendentis, nempe, usus coniunctus et usus purus.

Usus coniunctus est ille secundum quem dicitur Deus velle agere per causas secundas. Ita Deus est causa prima omnium quae per virtutes creatas fiunt inquantum omnes istas virtutes creat, conservat, applicat, usurpat; per usum coniunctum dominii transcendentis Deus infallibiliter scit et efficaciter vult et irresistibiliter facit idem quod per applicationem et instrumentalitatem virtutis creatae et conservatae producitur.

Intra ambitum usus coniuncti includuntur etiam media salutis gratuita et supernaturalia, uti, humanitas DNIC, gratias habituales et actuales, revelationem, redemptionem, ecclesiam, sacramenta, et omnia alia quae entia finita atque creata sunt et per oeconomiam divinæ sapientiae ordinantur.

b Usus autem purus dominii transcendentis est quo Deus sua voluntate vult et facit aliquid esse praeter ordinem omnium causarum secundarum.

Quare ~~magis~~ hic usus purus reduci potest ad hoc quod Deus non vult agere per causas secundas sed per immediatam interventionem suae voluntatis aliud facit ac per causas secundas facturus esset.

c Porro, quod Deus malum culpae permittit, ex duplice praemissa concludimus; nempe, ex eo quod sunt mala culpae, et ex eo quod nihil in mundo esse potest nisi id Deus et Dominus omnipotens aut velit aut saltem permittat. Quarum praemissarum altera sane invocat dominium Dei transcendentis, ideoque Quaerendum est ad quemnam usum dominii pertineat.

Quae quaestio haud obscura est. Si Deus usus esset suo dominio, cum nullo modo ~~malum~~ culpae velit, certissime nullum peccatum formale commissum esset. Ideo de facto adest malum culpae quia Deus voluit per causas secundas agere et noluit purum usum sui dominii adhibere ne malum culpae fieret.

Aliis verbis, per purum usum dominii transcendentis potest Deus impedire quominus ullum umquam peccatum committatur. Quatenus autem Deus non vult istum purum usum, sed vult agere per causas secundas, dicitur quandoque permettere malum culpae.

d En ergo prima responsio. Deus permittit malum culpae inquantum vult agere per causas secundas, inquantum vult usum coniunctum dominii sui transcendentis, inquantum non vult usum purum eiusdem dominii.

§23. Cur Deus permittat...

44

e At ulterius quaeritur cur Deus velit agere per causas secundas et nōlit agere per purum usum sui dominii.

Respondetur iustitiam Dei esse veritatem. Veritas enim rei seu ontologica est eiusdem conformitas ad intellectum divinum; ita res creatae quoad esse suum conformantur ideis divinis, et agere rerum sequitur eorum esse. Vide I, 21, 2. ~~nam vero si per causas secundas non possit esse malum culpe et creaturis excluderet, tunc agere rerum creatarum non proprium earum esse finitum sed potius esse Dei infinitum atque impetrabile se feretur~~

In quantum ergo Deus vult agere per causas secundas, in quantum nolit agere per purum usum sui dominii, intentum vult Deus suam iustitiam quae est veritas. Illud enim agere quod sequitur esse rei non est agere per purum usum divini dominii introductum sed est agere quod usum coniunctum sequitur.

f Dices: qui nimis probat, nihil probat. Porro, cum Deus semper vult suam iustitiam quae est veritas, numquam vult purum usum sui dominii. At consequens videtur falsum.

Respondetur: "Dicendum quod, cum bonum intellectum sit obiectum voluntatis, impossibile est Deum velle nisi quod ratio suae sapientiae habet." I, 21, 1, 2m. Quare Deus vult hunc mundum esse sicut scientia simplicis intelligentiae scit eum possibilem esse et scientia media scit eum futuribilem esse. Nihilominus ordo universi non sequitur essentias rerum sicut conclusio praemissas; per prius enim Deus scit ordinem universi quam rerum essentias in isto ordine inclusas; nam omnia uno intuitu simplici intelligit, non procedendo a minoribus totis in maiora excogitanda, sed tota maxima comprehendendo in eis vidit rerum essentias tamquam partes. Porro, tota maxima seu series omnium mundorum possibilium conspicuntur a Deo in propria essentia infinita tamquam manifestationes possibles eiusdem essentiae, sapientiae, atque bonitatis. Quare nihil impedit quominus ordo universi divina sapientia conceptus utrumque exhibeat, nempe, et purum usum dominii divini in miraculis physicis atque moralibus secundum oeconomiam specialem divinae sapientiae et usum coniunctum eiusdem dominii secundum quem Deus suam iustitiam rerumque veritatem per ipsas causas secundas agendo facit.

g Quibus positis sequitur duplex corollarium.

Quorum primum est incitamentum zeli ad maiorem Dei gloriam promovendam. Quod Deus permittit malum culpe, hoc idem est quod Deus vult agere per causas secundas. Quod si nobis displicet et Dei offensa malo culpe illata et animarum perditio aeterna consequens, pro virili parte agamus Deoque cooperemur ut divina volitio agendi per causas secundas non aequivaleat lugubri illi permissioni sed verae illi voluntati Dei quam nominamus dicentes, Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.

§23. Cur Deus permittat... g continuatur.

§23. g, con'd. Cur Deus permittat...

Quemadmodum vero nostram actionem actioni divinae cooperari oporteat, ex supra dictis coniici licet. Nam per creaturas agit Deus applicando atque usurpando; quae applicatio atque usurpatio per ordinem universi a Deo ut causa totali et universalis procedunt (§17, f, g, h, i), et triplici nexu ipsas hominum electiones attingunt (§18, i).

Quatenus ergo electio humana cum antecedentibus donis gratiae habitualibus atque actualibus nectitur, agere possumus flagitando bonum Patrem per orationes et poenitentias ut gratias abundantes Corpori Christi perficiendo atque augendo largiatur.

Quatenus autem electio humana cum antecedentibus dispositionibus atque habitibus corporis, sensuum, intellectus, ipsiusque voluntatis nectitur, agere possumus in has dispositiones habitusque cum per alia media nota tum maxime per educationem catholicam.

Quatenus denique electio humana cum adiunctis externis oeconomicis, politicis, scilicet socialibus, historicis nectitur, agere possumus etiam in haec influendo. Omnis enim motus historicus quantumvis magnus, profundus, diutinus ex "minoritate creativa" ortum sumpsit: minoritas enim inquirit, cogitat, intelligit, vult, dicit; maioritas docetur, commovetur, ducitur. Saeculo decimo nono vixit Marx et deridebatur; saeculo vigesimo doctrina Mariana magnam telluris partem regit. Pauci erant graeci philosophi, pusillus grex erant apostoli Domini, nec numerosi primi monachi, nec multi erant scholastici profundi, nec caterva magna primi socii Ignatii, nec multitudo erat sive Lutherus sive Calvinus sive Cartesius sive Galilei sive Rousseau sive Kant. Unum est necessarium: ut rerum mentium status qualis sit, perspicias, et quid fieri possit et debeat, invenias. Quod si Domino dirigente atque adiuvante feceris, ad maiorem Dei gloriam actione externa promovendam vere contuleris.

h Aliud corollarium est perperam eos S. Thomam interpretari qui dicant finem rerum a Deo intentum esse occupationem omnium stationum cum honoris et gloriae in coelis tum damnationis et poenae in infernis, et hanc ob causam Deum velle alios praedestinare et alios reprobare. Imaginatione quadam decipiuntur. Quod docet S. Thomas (vide I, 23, 5, 3m) est Deum velle manifestationem suae iustitiae atque suae misericordiae; quaenam vero sit ista iustitia et quaenam ista misericordia, antea exposuit, I, q. 21, aa. 1-4; quam expositionem intelligendo quae supra scripsimus invenimus.

i Dices: Ex praemissis sequitur reductio mali culpe in Deum. Nam Deus vult rerum veritatem ideoque per causas secundas agere vult; hac de causa non vult purum usum sui dominii transcendentis ideoque malum culpe permittit. Propter bonum commune, ergo, quo ordo universi est verus et realis neque quoddam somnium seu fairyland, permittit Deus malum culpe, sicut propter veritatem leonum permittit viventium mactationem.

Ex praemissis sequitur reductio divinae permissionis in volitionem boni communis, C; sequitur reductio ipsius mali culpe permissi, sub-dist., si malum culpe reduci potest in voluntatem diu nam agendi per causas secundas, C; si reduci non potest, N. Porro, nullo modo reduci potest, ut supra §20 stabilitur.

§24. De signis rationis.

a Sapientis est ordinare. Qui vero res ordinat, aliud ponit primum, aliud secundum, et ita porro. Quare secundum quod aliud alteri praetelligitur, ponuntur signa rationis.

Hanc ob causam sex signa rationis et singulorum in duas partes divisionem distinguimus ad ordinandam hanc materiam circa providentiam divinam.

Quae omnia siglis A, A', A'', B, B', B'', C, C', C'', D, D', D'', E, E', E'', F, F', F'' convenienter designantur.

b Primo signo ponimus scientiam simplicis intelligentiae secundam quam Deus totam seriem mundorum possibilium in sua virtute omnipotente intelligit. A.

Et in primo signo distinguimus inter ipsam intelligibilem rerum ordinem, A', et mala culpae quae contra ordinem intelligibilem sunt et negando intelligibilitatem cognoscuntur, A''.

c Secundo signo ponimus scientiam medium secundum quam Deus in sua transcendentia intelligit omnia fore prout praecedente scientia exhibentur si ipse quendam e mundis possibilibus vellet, B.

Et in secunda signo distinguimus inter hypothesin propriae divinae voluntatis, B', et hypothesin divinae permissionis, B''.

d Tertio signo ponimus liberum decretum divinae voluntationis secundum quam Deus actu vult hunc mundum esse, C.

Et in tertio signo distinguimus inter hanc volitionem prout antecedens dicitur, C', et prout est permissio mali culpae, C''.

e Quarto signo ponimus scientiam visionis secundum quam Deus actu scit hunc mundum esse secundum omnes suas partes atque nexus, D.

Et hoc in signo distinguimus inter ea quae Deus scit intelligendo, D', et malum culpae quod scit intelligibilitatem negando, D''.

f Quinto signo ponimus actionem divinam ad extra secundum quam Deus creat, conservat, applicat, atque usurpat omnia in mundo ut sint et agant, E.

Et hoc in signo distinguimus inter ea quae ex divina actione producuntur, nempe, omnia bona, E', et id quod minime ex ista actione sequitur, nempe, malum culpae, E''.

g Sexto signo ponimus totum hunc mundum secundum omnes suas partes atque nexus existentem, ita quidem ut totus mundus sit semper Deo praesens, et tamen partes mundi sibi invicem non sint omnes praesentes, F.

Et iterum distinguitur inter intelligibilia in se et in alio, F', et malum culpae quod est irrationabilis defectus appetitus rationalis, F''.

§24. De signis rationis.

47

h Quae signorum distinctio videtur conveniens.

In primis duobus ponuntur necessarie atque aeterna, in tertio et quarto ponuntur aeterna sed contingentia, in quinto et sexto ponuntur temporalia et contingentia. Quid videtur manifeste conveniens.

Porro, scientia media supponit scientiam simplicis intelligentiae; scientia visionis supponit liberam Dei voluntatem creandi; et existentia mundi supponit actionem Dei. Et hoc de causa convenienter ponuntur primum ante secundum, tertium ante quartum, et quintum ante sextum.

Denique in singulis signis fit distinctio secundum quod scientia vel volitio vel actio vel realitas respicit vel non respicit malum culpae. Quod conveniens est cum malum culpae intelligibilitate careat et in ali d reduci non possit.

i Iam vero alia signa non videntur admittenda.

Si enim alia admitterentur, fundamentum distinctionis sumaretur secundum ultasiores partes mundi sciti, voliti, facti, et existentis.

At Deus scit mundum per modum unius; vult mundum per modum unius; et agit per intellectum suum atque voluntatem. Quare cum mundus consideretur prout terminus est divinae scientiae, volitionis, et actionis (nam de divina providentia et gubernatione questio est), ineptum videtur partes distinguere ubi unum scitur, volitur, et efficitur.

j Quantum adaequationem veritatis attinet:

Quae primo et secundo signo ponuntur, dicuntur de Deo per necessitatem et ideo per denominationem intrinsecam.

Quae quinto et sexto signo ponuntur, dicuntur de mundo per denominationem intrinsecam tum secundum quod in se est, F, tum secundum quod in Deum ut causam reducitur, E¹, vel non reducitur, E².

Quae tertio, quarto, et quinto signo ponuntur dicuntur de Deo contingentia (potuit enim non creare) et ideo per denominationem extrinsecam dicuntur.

k Quantum realitatem distinctionum signorum attinet:

Duo sunt realiter distincta, nempe, Deus et mundus.

Proinde, quae necessario de Deo dicuntur non supponunt aliud praeter Deum; quae vero contingentia de Deo dicuntur, includunt in ratione veritatis existentias mundi extrinsecas denominantias.

Parva est distinctio inter scientiam simplicis intelligentiae et scientiam medium; Deus enim absolute simplex est.

Pariter parva est distinctio inter volitionem liberam et scientiam visionis; idem in Deo realiter est scire et volle; et haec scientia atque volitio veritatis/habent per idem denominans extrinsecam.

Addit scientia visionis super scientiam simplicis intelligentiae et scientiam medium tum quatenus scit objectum actu existens tum quatenus ipsa est illa scientia quae adiecta voluntate est causa rerum (I 14 8) et quae supposita voluntate est praecettiva ordinis rerum (I 32 1 c 1m 3m).

Realis omnino est distinctio inter ea quae in mundo sunt et illam privationem quae est maledictum culpae.

Denique distinctiones quae parvae dicuntur, fundamentum summa habent in nostro modo conciliandi.

inequationem/

§25. De Praedestinatione et Reprobatione.

a Providentia divina est ratio ordinis rerum in finem prout in mente divina exsistit. I, q. 22, a. 1 c.

Praedestinatio est pars providentiae, nempe, ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae. I, q. 23, a. 1 c.

Reprobatio est praevisione et permissio culpae et preparatio poenae aeternae. I, q. 23, a. 3 c.

Quae omnia pertinent ad quartum signum rationis seu ad scientiam visionis quae liberam volitionem hunc mundum creandi supponit. Vide §24, d, k.

b Dilectio divina dicit affectum divinae volitionis erga praedestinatos. I, q. 23, a. 2 c.

Electio dicit eundem affectum quatenus hi p[re]e aliis eliguntur ad vitam aeternam.

Odium denique dicit affectum eiusdem volitionis erga reprobos.

Quae omnia pertinent ad tertium signum rationis, nempe, ad liberrimam volitionem qua Deus hunc mundum totum creare voluit. Vide §24, c.

Antecedit ergo dilectio praedestinationem et odium reprobationem; quae tamen antecedentia in parva distinctione fundatur. Vide §24, k.

c Providentia, praedestinatio, reprobatio, dilectio, electio, odium distinguuntur ab eorum eorum effectibus seu consectoriis.

Ita providentia distinguitur a gubernatione rerum, quae est providentiae executio. I, qq. 103, 104.

Similiter praedestinatio distinguitur a donis gratiae, meritis, et collatione gloriae. Et pariter dilectio et electio ab eisdem effectibus.

Similiter reprobatio distinguitur a culpa praevisa et permitta et a poena inficta; et pariter odium ab iisdem distinguitur.

Interdum praedestinatio vel reprobatio sumuntur sensu restricto et cum praecisione ab aliquibus effectibus vel consectoriis. Quae praecisio toties annuntiabitur.

d Distinguuntur praedestinatio et dilectio eodem modo quo distinguuntur obiectum-quod et obiectum-cui amoris. Vide §16. Praedestinatio ergo dicit rationem transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae. Dilectio autem dicit affectum divinae voluntatis erga creaturam transmittendam vel transmisnam.

Pariter distinguuntur odium et reprobatio.

§25. De praedestinatione et reprobatione.

47

e Cum obiectum-cui amoris non dicatur finis nisi abusive, non est intrudenda consideratio obiectorum-cui in considerationem finium, sicut iam explicatum est. Vide §16, b.

f Assertum primum.

Divina dilectio, electio, odium, praedestinatio, reprobatio sunt praescitis possibilibus futurilibusque meritis et peccatis; at nullo modo sunt propter ea, neque proprie ex eis.

Sunt praescitis futurilibus, nam voluntas divina non caece eligit hunc mundum; adest obiectum ~~auctoritatis~~ secundum quod vult. Vide §15, c, i.

Non sunt propter merita vel peccata futuribilia, nam unicum motivum divinae volitionis est bonitas divina. Vide §15, f; §23, f.

Non proprie sunt ex praescitis futurilibus: primo, quia non realiter distinguuntur divinum scire et divinum velle; vide §15, g; deinde etiamsi anthropomorphice supponatur divina volitio specificari a divino intellectu, volitio esset specificata divino consilio, divina p~~rae~~conceptione mundi totius et non ex parte quadam p~~rae~~concepta.

g Assertum alterum.

Aliter se habent dilectio et odium; aliter pariter se habent praedestinatio et reprobatio.

Dilectio enim dicit ipsam Dei volitionem secundum quam dicimus, Fiat voluntas tua; quae quidem voluntas est salvifica erga omnes at efficaciter salvifica erga dilectos. Vide §15, §21.

Odium autem dicit divinam permissionem culpas p~~rae~~visae quam culpam Deus ipse nullo modo vult. Est enim malum simpliciter. Vide §14, c; §21, d; §23.

Praedestinatio dicit Deum summa sapientia sua mundum ordinare ut praedestinatis gratiae conferantur, merita sequantur, mors opportuno tempore interveniat, et praemium vitae aeternae largiatur. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8, 28ff.

Reprobatio autem minime dicit Deum excogitare laquaeos quibus reprobi irretiantur. Malum enim culpae est contra ordinem mundi, et fit contra nisus divinos ut omnes salventur. Vide I, q. 19, a. 6 c fin; I, q. 103, a. 8 ad lm. Unde dicit reprobatio p~~rae~~visionem culpae et permissionem. I, q. 23, a. 3 c. Vidi §14, f.

h Assertum tertium.

Neque dilectio neque praedestinatio neque odium neque reprobatio, etiam p~~rae~~cisive sumptae de sola gloria vel poena, sunt propter merita vel peccata absolute p~~rae~~visa per scientiam visionis.

Admittitur sane quod ipsa gloria est proper merita, et ipsa poena est propter peccata. At quaestio ponitur de motivo divinae volitionis. Alia quaestio infra ponetur utrum merita vel peccata sint conditiones divinae volitionis.

§25. De praedestinatione et reprobatione. h continuatur.

50

Dicimus ergo ipsam divinam volitionem aliud motivum non habere nisi ipsam divinam bonitatem (§15, f) neque divinam volitionem unius esse propter divinam volitionem alterius, nam divina voluntio est unica (§15, b) sed Deum velle ordinem rerum seu velle hoc esse propter illud, uti gloriam propter merita vel poenam propter peccata.

Praeterea, cum ipsa scientia visionis supponat divinam volitionem, ipsa voluntio non potest habere causam vel motivum ex praescitiss absolute.

i Assertum quartum.

Divina dilectio et praedestinatio sunt causa effectiva gratiarum, meritorum, atque gloriae. *Servi inutiles sumus.*

Uti enim constat ex tractatu de gratia, Deus facit tum ut bonum velim us tum ut ita velimus ut etiam faciamus.

j Assertum quintum.

Divinum odium et reprobatio non est causa peccati formalis; at supposito peccato est causa poenae inflictiae.

Non est causa, etc. Vide §20.

Est causa poenae inflictiae, etc. Vide §21, d, Quarta denique habitudo...

k Assertum sextum.

Divina dilectio, praedestinatio, odium, reprobatio sunt actus immanentes divinae voluntatis et intellectus; ideoque sunt aeterni, infallibilis, efficaces; eorumque causalitas est irresistibilis, inquantum causant.

Vide §3, M; §4, c, d; §8.

l Assertum septimum.

Divina dilectio, praedestinatio, odium, reprobatio sunt actus contingentes ideoque adaequationem veritatis habent per denominationem extrinsecam.

Sunt contingentes, nam potuit Deus nolle creare.

Habent adaequationem veritatis per denominationem extrinsecam, Vide §4.

m Assertum octavum.

Secundum legem generalem denominans extrinsecum sufficiens et necessarium ut divina dilectio, praedestinatio, odium, reprobatio habeant adaequationem veritatis est mors electi vel reprobri in statu gratiae vel peccati gravis.

Loquimur secundum legem generalem, scilicet aliter est dicendum de Christo Domino qui peccare non potuit, de confirmatis in gratia, de peccatoribus excaecatis et induratis qui iam certo ultimam gratiam acceperunt, etc.

Mors in statu convenienti est extrinsecum denominans sufficiens. Uti enim probatur in tractatu de Novissimis, Status viae morte finitur.

At etiam est extrinsecum denominans necessarium. Per se enim usque ad mortem manet possibilitas ut iusti non perseverent et ut peccatores accepta gratiam poenitentiam agant. Iam vero eiusmodi non-perseverantia vel poenitentia est actus liber qui non continetur de necessitate in alio ita ut usque ad mortem sors incerta maneat. Vide §9, c, d.

§25. De praedestinatione et reprobatione.

57

n Assertum nonum.

Divina dilectio et praedestinatio est absolute gratuita. Vita enim aeterna est firiis supernaturalis; media quibus ad vitam pervenitur pariter sunt supernaturalia et indebita.

Denique divina dilectio et praedestinatio non habent causam vel motivum vel conditionem ex meritis dilectorum et praedestinatorum.

Causa et motivum iam exclusa sunt, §25, f, h.

Gonditio sic excluditur: Causa non conditionatur ab effectu suo. Atque divina dilectio et praedestinatio sunt causa meritorum (§25, i). Ergo non conditionantur a meritis.

Aliis verbis: ut adsit adaequatio veritatis in illa propositione, Deus hunc diligit atque praedestinat, requiritur existentia mortis in statu gratiae ideoque cum meritis. Quae conditio est veritatis propositionis et non ipsius dilectionis vel praedestinationis. Nam dilectio et praedestinatio causant impletionem conditionis, et quidem infallibiliter, efficaciter, irresistibiliter.

Et haec est veritas quam tueri velint ii qui dicunt praedestinationem esse ante praevisa merita.

o Assertum decimum.

Divinum odium et reprobatio non sunt absolute gratuita.

Sicut dictum est non habent causam vel motivum ex peccatis.

Pariter, prout sunt actus divini non proprie habent conditionem ex parte creaturae. Dominum enim divinum est transcendens. Vide 21, c.

Attamen ista propositio, Deus hunc odio habet atque reprobat, non habet nisi adaequationem veritatis sine morte reprobri in statu peccati; at non habetur mors in isto statu, nisi reprobus peccat; ~~minus~~ peccati quod peccatum Deus nullo modo voluit, neque intellectu tolleranter ordinavit ut fieret, neque sua actione effectit. Quantum ad impletionem huius conditionis, Deus non est causa. Quare dicitur, Perditio tua ex te Israel. Cf. I, 23, 3, 2m.

Et haec est veritas quam ii tueri velint qui asserant ~~causavant~~ esse post praevisa merita.

p Assertum undecimum.

Divina dilectio, praedestinatio, reprobatio, odium non imponunt necessitatem dilectis vel reprobis.

Dicuntur enim hi actus divini atque aeterni per denominationem extrinsecam et sunt in signo simultaneo veritatis cum existentia extrinseci denominantis. Vide §8.

q Noli confundere signum simultaneum veritatis et instans simultaneum temporis.

Aut praedestinatus es aut reprobus. Quavis enim tua mors adhuc tibi futura sit, tamen eadem mors semper Deo aeterno est praesens. Porro sumitur denominatio extrinseca Dei ex morte semper Deo praesente, Vide §3, §4, d.

§26. Objectiones.

52

a Inconvenienter dicuntur actus quidam divini et aeterni esse contingentes, e.g. §4, et passim.

Quod enim est absolute simplex et absolute necessarium, nullo modo est contingens.

Respondetur: pari inconvenientia dicitur liberrimum consilium, quo Deus creare decrevit, esse actus necessarius.

Ad rationem allatam distinguo: actus purus entitative consideratus nullo modo est contingens, C; terminative consideratus nullo modo est contingens, N.

b Instas: ista adverbia, nempe, "entitative" "terminative" nihil esse videntur nisi effugium verbale.

Respondetur: si ens, actus, realitas cognoscuntur sensu, imaginatione, nominibus, C; si cognoscuntur per veritatem tamquam medium in quo, N.

Aliter enim alia veritas habet adaequationem veritatis. Quod Deus necessario existit, etc., habet adaequationem veritatis per actum purum entitative; quod Deus libere hoc vult et libere volitum existere nisi scit, habet adaequationem non per solum actum purum sed per hunc actum simul cum termino volito et scito; et sic dicitur actus purus terminative sumptus.

c Non vera et realis est illa divina scientia vel volitio quae actui puro nihil addit nisi terminum ad extra.

Atqui secundum doctrinam traditam scientia visionis, providentia, voluntas salvifica, praedestinatio, reprobatio, etc., nihil addunt nisi terminum ad extra; immo, Deus est idem per se prorsus entitative sive creat sive non creat.

Ergo secundum doctrinam traditam scientia visionis, etc., non sunt vera scientia neque realis volitio divina.

Respondetur: minor conceditur et maior negatur cum explanatione sequenti.

Aliud est id quo Deus scit et vult, et aliud est quo propositio circa Deum scientem et volentem habet adaequationem veritatis.

Ipsa actu puro Deus scit et vult quaecumque scit et vult; qui actus cum sit verissimus atque maxime realis demonstrat falsitatem maioris negatae.

Attamen adaequatio veritatis necessariae circa Deum per solum actum purum habetur; sed adaequatio veritatis contingentis ultra actum purum requirit terminum ad extra existentem.

Exemplum habes in igni qui me calefacit. Suo sane calore proprio atque intrinseco ignis calefacit quocumque calefacit. Et tamen fieri nequit ut ignis me calefaciat quin ipse calefas calefiam, et fieri nequit ut ipse calefiam calore qui non in me sed in igni est.

§26. Objectiones.

53

ci

d Instas: Haec forte suffiunt circa actionem Dei ad extra, uti creationem, conservationem, applicationem, etc. At scire et velle dicunt actus immanentes, ideoque adveniente novo termino, aut mutatur ipsum scire ipsumque velle, aut novus terminus neque scitur neque volitum.

Respondetur: aut mutatur aut non scitur neque volitum, dist., in ente finito, C; in ente infinito, N.

Neque solum est immutatio impossibilis in ente immutabili, sed prorsus supervacana supervacanea est in ente infinito.

Considera exemplum. Si vos docere conarer bis bina esse quattuor, possem vobis terminum proponere et occasionem eliciendi actus secundi praebere, at numquam vestram intellectualem perfectionem habitualem augerem; iam dudum scitis bis bina esse quattuor. At Deus est perfectione infinitus, neque solum perfectione habituali sed etiam actuali; novus terminus adesse potest suae scientiae vel volitioni; sed perfectio eius sive habitualis sive actualis augeri non potest.

e Instas: Saltem haec stare non possunt cum vera libertate divina. Ex concessis enim constat ~~sam~~ Deum eodem actu puro absolute necessario se ipsum necessario amare et creaturem contingenter, imo liberrimo consilio, velle. Aut Deo inest novus actus contingens aut Deo deest volitio vere ~~mixta~~ libera.

Respondetur: Eligo primum membrum disjunctionis et distinguo. Inest novus actus contingens, entitative, N, terminative, C.

f Instas: atqui novus actus contingens terminative non sufficit ad veram Dei libertatem.

Respondetur: Sufficiat Distinguo: si vera Dei liberis-in libertas consistit in eo quod Deus in se producit atque recipit volitionem contingentem entitative, non sufficit, C; si vera Dei libertas consistit in eo quod Deus libere producit ad extra terminum volitionis suae, non sufficit, N.

g Instas: atqui ad veram Dei libertatem non sufficit Deum libere producere ad extra terminum volitionis suae.

Imo, hoc laborat circulo vitioso. Nam illud libere producere est velle quoddam divinum, nam Deus sua voluntate producet. Porro, non est velle necessarium, quia dicitur liberum; neque est velle liberum, quod non habetur ex termino producendo sed solummodo ex termino producto. Scilicet, productio est prior producto; at praerequiritur terminus libere productus ut sit productio libera.

Respondetur: primo, sufficit ad veram Dei libertatem libera productio termini volitionis suae; deinde, haec libera productio non laborat circulo vitiioso.

Ad primum proceditur ex comparatione libertatis humanae in qua distinguuntur sequentia:

A) est volitio finis; quae est actus secundus in voluntate ab applicante receptus.

B) est volitio medii; quae est actus secundus realiter a priori actu distinctus et pariter in voluntate receptus.

B') est eadem volitio ac B, sed consideratur prout actio est, seu cum relatione dependentiae ad causam efficientem.

B") est eadem volitio ac B, sed consideratur prout passio est, seu cum relatione inhaesionis in ipsa voluntate.

A') est eadem volitio ac A, sed consideratur secundum virtualitatem suam, nempe, prout est actus quo suppositum potest producere vel non producere hanc vel illam medii volitionem.

A") est eadem volitio ac A, sed consideratur ut actu producens hanc medii volitionem, seu ut est id quo suppositum actu producit hanc medii volitionem; quae consideratio non addit entitatem actui A intrinsecam sed solummodo addit denominationem a sua actione, nempe, B'.

Iam vero ad veram hominis libertatem constituendam nihil facit possibilitas passiva recipiendi hanc vel illam volitionem; secus dicenda esset aqua libera quia passive potest recipere sive frigus sive calorem.

Sed ratio libertatis habetur ex actu, A', et exercitium libertatis habetur ex eodem actu ut A". At haec relinguunt actum A intrinsece immutatum.

Quibus positis ad libertatem Dei veram redeamus.

Deus est suum velle quod est amor infinitus bonitatis infinitae; unde in eo habetur volitio finis, A.

Hoc actu Deus potest producere vel non producere quemcumque mundum; unde in eo etiam habetur virtualitas, A'.

B Porro, quod Deus actu producit hunc mundum dicitur quatenus actus purus denominatur ab a mundo producto, et sic habetur A" et pariter habetur exercitium libertatis.

Demique, eodem signo Deus denominatur non solum ut actu per seipsum producens sed etiam ut actu volens hunc mundum, et ita in Deo invenitur volitio eius quod ad finem est seu quod correspondeat actui B.

Ad secundum vero quod adest circulus vitiiosus, nego eum adesse. Sicut in homine antecedit-natura posse producere natura antecedit actu producere, pariter in Deo. Sicut in homine, eodem actu B, B', habetur et actu velle medium et actu producere ~~sunt~~ volitionem medii, pariter in Deo in eodem signo est actu producere mundum et velle mundum productum.

§26, h. Obiectiones.

15

h Instas: solutio est nulla. Causa indifferens indifferens ad utrumque non agit donec determinetur. Atqui in analysi ponitur causa indifferens ad utrumque, nempe, actus A', et additur actio ante determinationem, nam A'' est causa immutata et ideo p^{ro}x prior effectu qui est B, B', B''.

Respondetur: causa specificationis indifferens non agit donec determinetur, C; causa exercitii, N.

Requiritur determinatio causae specificationis, quia secus specificatio effectus esset incompleta; quamobrem praeter intellectum cuius scientia se habet ad utrumque, ulterius requiritur voluntas tamquam causa exercitii. Si autem hoc principium applicatur pariter ad causam exercitii, aut abitur in infinitum aut tandem denique agnoscitur principium sic applicari non posse. Ita Banneziani secundum unum principium metaphysicum requirunt determinationem causae exercitii in libera hominis voluntate, et secundum principium contradictorium non requirunt determinationem eamdem in libera voluntate divina. Iam vero aut determinatio est metaphysice necessaria in causa exercitii aut non; si est, Deus non est liber; si non est, non requiritur determinatio in homine. Dicere quod causa infinita non indiget, causa finita indiget, est fallacia accidentis; si causa finita indiget, indigentia non est ex ratione causae exercitii, sed ex ratione finitudinis; et ex hac ratione probatio est proferenda; non profertur, neque proferri potest; si enim posset proferri, tolleretur libertas humana.

i Atqui saltem scientia visionis et libera Dei volitio non sunt aeternae. Nam terminus ad extra est temporalis, ideoque dicere eum semper esse Deo praesentem aut facit terminum aeternum aut facit terminum qui non existit praesentem.

Respondetur: nego antecedens; ad rationem allatam, admitto terminum esse temporalem et ad disjunctionem addo tentium, nempe, neque terminus temporalis supponit aeternum, neque terminus non existens supponitur praesens sed, cum aeternitas sit tota simul, aut Deus nuncquam se sit et vult aut semper scit et vult

Respondetur: nego antecedens; ad rationem allatam, admitto terminum esse temporalem; ad disjunctionem, nego suppositum, nempe, aeternitatem esse tempus quoddam infinitum. Res iam est explicata, §3, 4.

j Doctrina adeo complexa atque intricata melius omittitur ut mysterium simpliciter agnoscatur.

Respondetur: adhuc nulla difficultas est mota quae in philosophia moveri non potest. Potius ergo inertia humana quam mysterium divinum agnosci debet.

§26. Objectiones.

56

(I, 23, 2 c)

- k Secundum S. Thomam praedestinatio nihil ponit in praedestinato. Secundum doctrinam propositam praedestinatio ponit in praedestinato mortem in statu gratiae.

Respondetur: Secundum S. Thomam prophetia praedestinationis non completur sine nostro arbitrio consentiente (III, 30, 1, 1m); et ita est circa prophetiam, quia ita est à circa divinam scientiam ex qua prophetia procedit (II-II, 171, 6, 3m); iam vero idem ordo universi in divino intellectu existens sub aliis respectibus est praescientia, praedestinatio, providentia (I, 22, 1; 23, 1); ergo secundum S. Thomam praedestinatio aliquid ponit in praedestinato.

Aliter tamen et aliter: prout enim praedestinatio dicit actum quo Deus praedestinat, dicitur actum purum et sic in praedestinato nihil ponit; prout autem praedestinatio dicit hanc veritatem, Deum hunc hominem praedestinare, adaequatio veritatis exigit aliquid in praedestinato positum.

- l Videtur quod voluntas salvifica antecedens est conditionata.

Nemo enim reprobatur nisi peccaverit; quod peccatum Deus non causat; usque ergo ad peccatum impenitentiae finalis, voluntas salvifica manet antecedens et conditionata; at hoc peccato peracto, transit eadem voluntas in absolutam et consequentem.

Respondetur: quod "videtur" transeat; ad argumentum, nego suppositum, nempe, Deum esse in tempore.

Verum est volitionem divinam non esse consequentem et absolutam sine conveniente termino ad extra; eiusmodi tamen terminus non est conditio volitionis divinae sed ~~markita~~ conditionis adaequationis veritatis.

~~Quod non est conditio volitionis divinae, patet in electis quorum vita et mortem opportunam Deus producit; neque minus patet in reprobis: quamvis enim Deus eorum peccata nullo modo valit vel officiat, attenuat permittit, ab aeterno permittit; quae aeterna permissione non supponit ipsum peccatum sed solummodo supponit scientiam simplicis intelligentiae et scientiam medium.~~

Quod non est conditio ipsius divinae volitionis, patet; nihil enim est in mundo nisi Deus voluerit; porro, volitio divina est unica; et nihil potest esse conditio sui ipsius.

- m Videtur malum culpae reduci in Deum permittentem idem malum culpae.

Aut enim ista permissione est volitio efficax, et sic cum ea componi non potest hominem non peccare; aut non est volitio efficax, et sic tollitur dominium Dei transcendens.

Respondetur: admitto disjunctionem et eligo membrum primum; quoad membrum primum admitto cum volitione Dei efficaci componi non posse ut homo non peccet; sed nego consequens quod subauditur, nempe, hominem ad peccandum necessitari; nam veritates simultaneae sunt et quod hic homo hic et nunc peccat et quod Deus hunc hominem hoc peccatum patrare permittit; per eamdem enim entitatem utrumque veritas habet adaequationem.

57

§26. Objectiones.

n Instas: Ergo admittitur nexus intelligibilis inter Deum permittentem et hominem peccantem.

Respondeatur: Admittitur identitas inadaequata inter has veritates simultaneas, nempe, hominem peccare, et Deum hoc peccatum permettere; per eamdem enim entitatem habent adaequationem veritatis. Sed negatur nexus intelligibilis inter actum quo Deus permittit et defectum actionis quo homo peccat. Caeterum, in contextu stricte sumitur "intelligibile"; non enim dicit id quod cognosci potest et multo minus id quod concipi potest; sed dicit id quod positive intelligendo cognoscitur.

o Instas: Explicatio est nulla quae recurrit ad rationem inintelligibilitatis.

Respondeatur: Si ita recurrirunt sine fundamento in re, C; si cum fundamento in re, N. Explicatur enim quid possit et debeat intelligi et quid neque possit neque debeat intelligi.

p Saltus deservere non oportet derelinqui definitionem traditionalem boni, nempe, id quod omnia appetunt.

Respondeatur: Ponitur quid nominis ut ad quid rei procedatur. Secundum quid nominis bonum est id quod omnia appetunt, et appetitus est tendentia in bonum. Secundum quid rei ens et bonum convertuntur; iam vero omne ens est unum et intelligibile; omne ens actu est existens; omne ens quod completum est totum; unde bonum ratione sui est totum existens, et bonum ratione alterius est pars totius.

q Non assignatur terminus quem antecedit voluntas antecedens.

Respondeatur: Assignatus est terminus sine quo non habetur voluntas consequens, v.g. mors in statu peccati.

At nullus est assignandus Deus terminus quasi umquam cessat voluntas Dei antecedens; haec enim non est volitio conditionata, sed est ipsa volitio divina actualis qua hunc mundum vult in quantum terminatur ad ea quae ex parte sua Deus vult, nempe, bona omnia.

r Nulla est distinctio inter actionem divinam immediatione virtutis et immediatione suppositi. Deus enim est sua virtus. Si ergo Deus agit immediatione virtutis, eo ipso agit immediatione suppositi. Vide De Pot., 3, 7.

Respondeatur: immediatio suppositi sequitur immediationem virtutis, C; non potest Deus agere nisi per causas secundas, N. Vide I, 105, aa. 1-3.

§26. Obiectiones

~~n/ Instas: admittitur ergo nexus intelligibilis inter Deum
permittentem et hominem peccantem.~~

~~Respondeatur: nexus supponit dualitatem; porro veritates simultaneae, seu quae per eamdem entitatem habent adaequationem veritatis, eatenus non sunt duas sicut sed una. Negatur nexus intelligibilis inter actum quo Deus permittit et defectum actionis quo homo formaliter peccat. Praeterea, in contextu, "intelligibile" non idem dicit quod "cognoscibile"; sed dicit id quod intelligendo cognoscitur.~~

1. *Leucanthemum vulgare* L. (L.)

পৰিবেশ কৰিব আবশ্যিক হ'ল এইটা পথ।

7. *Amphibolite* (1960) *quartzite* (1960). *Chlorite-schist*. *Amphibolite* (1960).

ପ୍ରମାଣିତ ହେଲା କି ଏହା କାହାର ଦେଖିବାରେ ଅନୁଭବ ହେଲା କି ଏହା
କାହାର ଦେଖିବାରେ ଏହା କାହାର ଦେଖିବାରେ ଏହା କାହାର ଦେଖିବାରେ

THE PRACTICAL THERAPIST
BY THEODORE FREDERIC AND RUTH DAVIS BROWNE, M.D., AND OTHERS

3000' DEEP HOLLOW CREEK 80' TALL PINE WOODLANDS

§26. Obiectiones.

s Theoria proposita circa divinam scientiam futuribilium coincidit cum Banneziana.

Respondetur: theoria banneziana duobus constat: Deus cognoscit futuribilia in decretis suae voluntatis; quae decreta subjective absoluta et obiective conditionata respiciunt praedeterminationes physicas talibus adiunctis dandas. Vide Billuart apud Lennerz §362, p. 253.

Theoria proposita negat possibilitatem praedeterminationum physicarum; et affirmat scientiam medium constitutum ante omne decretum absolutum divinas voluntatis. In sua virtute comprehensa Deus conspicit totam seriem mundorum possibilium; in sua transcendentia comprehensa Deus cognoscit quemlibet mundum, si crearetur, futurum fuisse prout ea concipitur priori scientiaz similiis intelligentiae. Illud "si crearetur" non est decretum divinae volitionis sed hypothesis decreti quae in solo intellectu perficitur.

Si Molinam legeris (Lennerz §357, p. 249 f), profecto videbis totam vim suae positionis in eo consistere quod contra Scotum non facit transitum a possibilibus ad actualia per determinationes divinae voluntatis sed post possibilia cognita et ante omnem decretum voluntatis absolutum interponit futuribilia cognita. Unde ad mentem D. Thomae existentiam rerum actuuumque ex divina voluntate repedit, rationem vero seu specificationem seu determinationem (si A, tunc B) ex solo divino intellectu. Et hoc non solum p facimus sed etiam quemadmodum fieri possit explicamus.

§27. Principiorum summula.

a Circa divinum dominium.

Cum ipse Deus sit fons omnis intelligibilitatis, veritatis, bonitatis, entitatis, fieri non potest ut ex alio scientiam acquirat, vel propter aliud quicquam velit, vel praeter actionem eius quicquam producatur.

Imo, cum spiritus sit, cumque per intellectum et voluntatem agat, non solum ut causa prima et principalis omnia producit, sed eadem omnia etiam intellectu praecognoscit et liberrima volitione vult.

Cum denique Deus sit perfectione infinitus, necessario est scientia eius infallibilis, volitio eius efficax, et actio eius, scientiam volitionemque exsequens, irresistibilis.

b Circa ordinem universi.

Cum omnis mundus possibilis necessario sapientiam divini intellectus et divinae voluntatis bonitatem reprezentet, existit ordo universi concretus, spatio temporeque divisus, omnia continens quae sunt, erant, vel erunt, omnia relationibus religans sive necessariis sive contingentibus, unus, intelligibilis, completus.

Qui cum bonus sit et alia bona finita omnia in se includat, summum est bonum creatum, et finis rebus creatis immanens, et gloria Dei externa et obiectiva.

At idem universi ordo potest abstracte considerari, prout est relationum quidam complexus, et potest dynamicè sumi, prout singulis momentis successivis existit. Quo sub aspectu ordo universi est virtus illa instrumentalis qua Deus singulas causas a se creatas conservatasque ad actiones determinatas applicat et applicatas usurpat secundum praecognitum consilium sue providentiae et secundum modum suaे gubernationis generalem.

c Circa necessitatem et contingentiam.

Quicquid contingenter de Deo dicitur, per denominationem extrinsecam dicitur. Et eiusmodi omnia sunt quae pertineant sive ad scientiam visionis sive ad liberam Dei volitionem sive ad actionem Dei creantis, conservantis, et gubernantis.

Neque desunt ipsa extrinseca denominantia, cum Deo aeterno omnia sunt praesentia, neque quicquam ei praeteritum vel futurum esse potest. Non enim imaginatione fingendus est Deus, quasi nunc his contemporaneus existens et ~~etiam~~ illis contemporaneus; sed ipse est sine temporis limitatione, et alia sunt etiam quamvis tempore limitentur.

Qua de causa veritates simultaneae sunt, quippe quae per eandem entitatem adaequationem veritatis habeant, et "hoc contingens existit" et "Deus hoc contingens existere scit, vult, facit."

quandoque

Ex quo factum est ut neque divina scientia infallibilis, neque voluntio efficax, neque actio divina propter infallibilitatem efficaciamque irresistibilis ullam possit necessitatem rebus imponere praeter eam quae ex suppositione ipsius rei sequatur.

Reliquum ergo est ut ex causis finitis solis mensuretur rerum sive necessitas sive contingentia, ut ille effectus sit necessarius cuius causa applicata non potest non agere, et ille effectus sit contingens & cuius causa applicata et agere et non agere potest.

Quam ob causam frivulos recte reputavit Aquinas esse eos qui divinum dominium absolutum et rerum contingentiam inter se pugnare arbitrarentur. Vide CG III, 94, §15.

d Circa malum culpe.

Existunt, prout privationes existere dicuntur, irrationabiles defectus actionis in appetitu rationali. ~~Quia ex causa~~ Qui defectus, cum contra naturam rationalis appetitus, contra dictamen rectae rationis, contra dona gratiae in contrariam partem nitentia, contra intelligibilem rerum ordinem a Deo praecognitam atque voluntatem, contra praeconta Dei et minas iusti iudicis, contra actionem Dei in omni agente operantis, nihilominus modo privativo fiant, sane secundum nullum nexus intelligibilem in aliud reduci possunt.

Quare Deus non intelligendo ea praecognitit sed intelligibilitatem negando cognoscit, neque ullo modo nisi ea vult sed tantummodo permittit, neque sua actione facit sed, ipso agente, irrationabiliter non fiunt.

e Circa voluntatem Dei antecedentem et consequentem.

~~Cur Deus hunc mundum et non alium creare voluerit, penes ipsum Deum est. Ab quammodo quemadmodum bona sit voluntio divina huius mundi, aliqualiter perspicere possumus.~~

~~Vult enim Deus iustitiam seu rerum veritatem ontologicam, qua secundum proprias naturas propriasque voluntates fiunt creaturarum actiones. Vult ergo Deus usum quemdam coniunctum sui dominii ut per causas secundas lege generali agat, et ideo non vult usum sui dominii purum quo immediata interventions semper impedit quominus creatura faciat quod ipse nullo modo faceret. Quia vult usum dominii sui coniunctum, quia per causas secundas agere vult, ideo Verbum caro factum est ut humanitas per Humanitatem creatam salva fiat. Quia vero usum purum sui dominii non vult, cum nihilominus Dominus necessario existat, reliquum est ut peccate fieri permittat.~~

~~Inconveniens est dicere nullum esse mundum possibilem in quo nullum occurrat peccatum quamvis Deus per solas causes secundas agat; quamobcausam non volumus explicare cur Deus hunc mundum prae alio elegerit; hoc ergo myste simpliciter relinquimus mysterio divino; neque mysterio paucus carere dicimus ipsam huius mundi voluntatem divinam;~~

§27. Summula.

61

e Circa voluntatem Dei antecedentem et consequentem.

Alio sensu voluntas dicit velle, alio et latiore sensu dicit permittere; quod enim Deus ~~potest~~ malum culpae permittit, nullo tamen modo malum culpae vult.

Dicitur ergo voluntas Dei antecedens quatenus ~~volendo~~ eligit; consequens autem quatenus ~~nolendo~~-permittit non solum volendo eligit sed etiam nolendo permittit.

Cuius distinctionis radix sic forte declarari potest. Vult Deus iustitiam suam seu rerum rationem intelligibilem seu rerum veritatem ontologicam; vult igitur creaturarum actiones secundum proprias naturas propriasque voluntates lege saltem generali fieri; vult ideo Deus per causas secundas agere et usum non purum sed coniunctum sui dominii adhibere; et quia haec vult Deus, Verbum caro factum est ut creata humanitas per Humanitatem creatam salva fiat.

Potuit Deus aliud mundum eligere ubi per causas secundas ageret et tamen nullum fieret peccatum. Potest Deus per usum purum sui dominii immediata interventione semper impedire quominus creatura peccatura non peccet.

At aliud mundum non elegit, et volendo hunc mundum vult usum sui dominii coniunctum et non vult usum illum purum. At quamvis dominium pure adhibitum nolit, nihilominus Dominus omnium maneat. Quare ex suppositis necesse est ut peccata fieri permittat.

Quae permissio non est velle malum culpae: ne peccator quidem ipsum malum culpae vult. Neque eadem permissio est velle aliud, sed noīle quoddam est, nempe, nolle usum purum divini dominii quo hoc in mundo tolleretur veritas rerum ontologica.

~~Laudandus ergo Deus est qui rerum veritatem ontologicam vult~~

~~Gratias Deo agendum est ab hoc mando quia hunc mundum voluit; laudandus Deus est quia huius mundi veritatem ontologicam voluit; quod peccata fiunt, culpandi soli sunt ipsi peccatores; et si quaesiveris cur gratias abundantiores non largiatur, cur tot tantique sint errores, cur tam graves sint tentationes tamque frequentes, cogitate esse causam secundam per quam orantem atque laborantem Deus agere vult ut maior sua sit gloria.~~

Quia hunc mundum Deus voluit, gratias Deo agere nos oportet; quia huius mundi veritatem ontologicam voluit, laudandus sane est Deus; quod homines peccant, ipsi viderint, cum sua voluntate contra voluntatem Dei peccent; quod tot tantique sunt errores, quod tam graves tamque frequentes occurrunt tentationes, quod gratiae abundantiores non conceduntur, viderint ipsae causae secundae per quas impetrantes atque laborantes Deus agere vult.

§27. Summula.

62

f Circa rationem mysterii.

Quod in patria uno simplici intuitu intelligendum manet, his in terris per rationem fide illuminatam intelligere aliqualiter valent qui pie, sobrie, sedulo quaendunt.

Quare per multa discurrendo, rationibus semper aliis alias difficultates obviando, per errorum magis exclusi-
onem quam ipsius veritatis persplentiam, per principiorum potius cumulationem quam synthesin, ea sunt proposita quibus cohaerenter affirmatur et Deus omnium Dominus, et homo sui dominus, et peccator peccati reus. Vera ergo est voluntas Dei salvifica cum nullo modo velit vel faciat Deus id quo non salvandi pereunt. Iusta est impenitentium reprobatio cum ea conditione reprobantur quam non Deus sed ipsi impleant. Gratuita est electorum praedestinatio quorum nullum est meritum quod non acceperint ab eo qui infallibiliter praeconceperit, et efficaciter voluerit, et irresistibiliter produixerit cum totum universi ordinem tum singulas eiusdem partes etiam minima minimas.

"Cum omnia feceritis quae praecipiuntur vobis, dicite quia servi inutiles sumus."

"Homo non habet de suo nisi mendacium et peccatum."

"Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui."

"Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei."

"Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui."

"Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat."

"Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire."

"Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina."

"Quomodo autem audient sine praedicante?"

"Perditio tua ex te, Israel."

"O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit ei illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen"

scribentur
xxiii mart., MCML,
in seminario PP. SJ.,
Bernardus Lonergan.